

HISTORIA
DE VITA, MORTE,
ET IVSTIS CAROLI V. MAximi, Imperatoris Rom. &c. nunc recens edita, & varijs illustrata virtutū fortunęq́ exemplis.


Authore Frid. Staphylo.



Cum gratia & Priuilegio Imperiali.



AVGVSTÆ VINDELICORVM
Philippus Vlhardus excudebat.
ANNO Sal. 1559. Calend. Iunij.



Σεβαστῷ Φερδινάνδῳ τῷ τῶν Ῥωμαίων αὐτοκράτορι εἰδύλλιον.

αι. ὦ ξένε τίς; Δάφνις μοι ἐγώ, σὺ δέ; βούκολος Αἴγων.
δ. ἀλλὰ τί νῦν κλαίεις; αι. πότμον ἰδὼν ἀγέλης.
οὐκέτι φορμίγγων νόμιον μέλος, οὐδὲ νομῆες
γνήσιοι, αἱ δὲ βόες σπαρχόμεν' ἄλγεες.
ὧν αἱ μὲν σπήλυγξι λύκων τέρπονται ἀμυδροῖς,
τοῦτ' ἄγιον πατέρων νῦν συγέουσι δόμον.
αἱ δ' αὖ τοῖς θήρεσσιν ὁμοῖαι, ἀντιπάγουσι
μήτερι σῇ πόλεμον, καὶ δολόεντα μόρον.
δ. ναὶ μὰ τόν. ἀλλὰ θεῷ μὴν τ' ἄργυφα μῆλα μελήσει,
ποίμενας ὅσσ' ἄξει,, ποίμνια βοσκόμενος.
ἁρμονίην τ' ὀρθοῖο μελίσματος εὐστηρίξει
ἐν πραπίδεσσι ζυγοῦ, καὶ οὐρανίοιο λόγου.
καὶ νέον ἐς καθαρὴν μερόπων φρενὰ πυρσὸν ἀνάψει,
τὴν ψευδῆ κραδίης δόξαν ἀποσκεδάσας.
αι. ἤνικα ταῦτ' ὦ Δάφνι; δ. τάχιστα, χρόνος γ' ἀγορεύσει,
εὐσεβέων φωνῇ κύκλον ἐπισταμένων.
πρίν γε δεκάς, καὶ ἔπειτα κατήλυθεν ἕβδομον ἦλθοι,
καὶ τέττιγες ἔνι σαυκροτέοισι νόμοις.
αι. νῦν τί φέρεις; δ. τέττιγα φέρω, πολιόν τι μάθημα,
αἴξιν ἐρίγγιον ὄν, πῆμα λύκοις ἐρίδων.
αι. δεῦτε μοι ὦ παῖδες, καὶ δεῦτε γέροντες, ὁ τέττιξ
πίστις ἀληθείας, πράξιος ἐστὶ κανών.

HISTORIA

DE VITA, MORTE, ET IVSTIS

Caroli V. Maximi, Imperatoris Romanorū &c. nunc recens edita, & varijs illustrata virtutum fortunæꝗ exemplis.



VNEBRES POMPÆ haberi cum solent, vsitatum fermè est, vt tum de eo, cui is epitaphius honor exhibetur, certatim varia virtutum encomia, laudesꝗ rerum præclarè fortiterꝗ gestarum celebrentur ad contionem populi: ne, quē homines fortè dilexerunt viuum, eundē velint odisse mortuum: nec quem propinqui tali dignum honore censuerunt, indignū alieni arbitrentur: præsertimꝗ cum accedat huc, ꝙ pleriꝗ alienæ virtutis exemplo efficatius, quàm proprio iudicio, et suo, ad studium honestatis soleant incitari. Mos sanè vel imprimis laudabilis, neꝗ ethnicis tantum, sed Christianis etiam vsurpatus, licet alio modo his, illis alio atꝗ

 diuerso.

diuerso. Cum Pericles laudat Græcos in Samo interfectos, Cicero Romanos trucidatos ab Antonio, vterque, ob tantæ virtutis præstantiam, his diuinitus deberi, qui rempublicam fortiter defenderint, qui animosè pro salute patriæ occubuerint, vitæ immortalitatem, arbitrabantur. Christianis verò tametsi idem omnino scopus, in quē omne virtutis studium collimare debēt, præfixus est: sed tamen alia ex causa, alio in loco, ob aliam adipiscendi talis brauij conditionem. Etenim citra agnitionē gratiamq; Redemptoris Christi, nulla vllius virtutis potest esse vis aut dignitas tanta, tale aliquod, vt queat, aut tantum, quod immortali vitæ exæquetur, præmium mereri. Mutila igitur cum sit, inanisq; illa ethnicorum confidentia: multo rectius Basilius Magnus, cum Gordium, & Gregorius Nazianzenus cum Diuum Cyprianum, martyres, funebribus celebrant encomijs: quòd decies maluerint crudelissima tyrannorū supplicia perferre, quàm vllum de catholica Christianorū fide apicem labefactari nutu suo permittere. Hæc enim tam præclara martyrum facinora

ra cum nobis illi cõmendant, tum profectò ea nequaquam ex sese, ut Ethnicis, Pelagianisq; videtur, sed vt censent Christiani, ex gratia Christi promerendi facultatem habere volebant. Itaque ipsum martyrij supplicium satis esse ad laudem martyris statuit Diuus Basilius. Hoc sanè exemplum quamuis etiam nobis liceret nunc imitari in hisce exequijs, vt honestum, illud omittere, vt vitiosum: neutrum tamen his præsentibus parentalium sacrorum ritibus conuenire existimamus: quando exequiarum iura non magnificas de mortuo gloriosasq; apud Deum prædicationes, quibus Maiestas Diuina solet offendi, sed deuotas humilesq; supplicationes, quibus placat̃ nonnunquàm, desiderent. Quamobrem, si hæc exequiarum iusta, sacrificijs nobis sunt deuotisq; peragenda precibus, vt piè litemus et castè manibus defuncti Imperatoris Caroli, non iactanda gloriosis rerum gestarum titulis, vt quasi iure propriarum virtutum de possessione cœlorum cum Deo contendere velimus: hinc certe nos auertere, illuc aduertere animum oportebit: primũq;

id nobis constituendũ, an preces hæ nostræ & liturgiæ licitę sint, an Deo probentur, an prosint defunctis: deinde quibusnã, & quo pacto queant prodesse: postremò quid nobis, cum Deus, Carolum Cæsarem, tantum heroa ademerit, statuendum sit deinceps. De his etenim admonere spectatores, magis ego nũc, quàm populares illas et iactabundas celebrare panegyres, necessarium iudico, siquidem hoc res ipsa postulet, & tacita hoĩm iudicia idem efflagitare videanť.

Quoniam enim has cæremonias dũ exercemus, & dum hæc iusta cònamur Carolo Imperatori, more maiorum, soluere, videmur nõnullis ineptè ac superstitiosè, plerisq; contumeliosè in Deũ, prorsusq; impiè facere: cum, qui hac è vita migrent, eos illi credant confestim citra moram, sola fiducia Christi nixos, in cœlũ attolli: vicissimq; qui præter fidem Christi, & spẽ sibi, & charitatem, & pœnitentiam necessariam statuant, hos continuò ut Christi aduersarios, rapi ad inferos: mediam enim, quæ inter vtramq; hanc sit tertia, viam nullã reperiri: atq; eam ob causam, neq; Deo hæc funebria sacra

grata haberi, neqꝫ viris euangelicis vllo modo probari poſſe.

Ea verò quamuis temeraria eſt, nuperqꝫ admodum ab inferis reducta opinio, non orandum pro defunctis: vetus tamē illa eſt, & iam olim totius Chriſtiani orbis cōſenſu damnata atqꝫ exploſa hæreſis: ſic enim Aërius quondā Arianæ hæreſeos ſectator ſentiebat, vt Epiphanius ſcribit, et Petrobuſiani hæretici, ut Bernhardus. Quapropter dubium profectò poteſt videri, deteſtanda ne magis ſit, iſta adeò peruicax temeritas quorundam, qui tàm claræ veritatis luci offundunt tenebras, an deplorāda ſtulta credulitas ſeductæ gentis noſtræ, quæ aures præbeat tam pernicioſa dogmata ſuadentibus.

At hic continuò occurrūt nobis cateruatim, expreſſum Dei verbum efflagitantes, quanam ſcripturarū authoritate, quo exemplo vel Prophetarū vel Apoſtolorū, hoſce ritus Deo placere comprobemus, ac prodeſſe defunctis. Et quanquam illis, quid ſacræ literæ hac de re expreſſerint, non eſt ignotum: negant tamen atqꝫ inſtant proterue ac ruſticè. Iudas aūt ille Machabæorum

& princeps pius, et dux egregius, cum cæsi exercitus sui certa quędam delicta, quæ necessariò expianda rebatur, comperisset, magnam argenti vim misit Hierosolymã, iussitq; sacerdotes pro interfectis litare atq; offerre sacrificia. Ecquid expressius scripturæ testimoniũ desideras? Desideras sanè, atq; adeò etiam, vt cum nimis clarè expressum sit, cupias totum librum à sacris biblijs resectum. Atq; ne peruersæ cupiditati argumenti species desit, clamas eũ in hagiographis poni non oportere: dubitatum enim de eo esse olim, Iudęos in catalogo suo non habere. Satis ne id argumẽti est? vobis quidẽ ita videtur, at certè longè secus Eccl̃ię Christi: quæ vt cætera omnia, ita quoq; hoc ex pectore sponsi sui hausit, & seruat fideliter. Dubitarunt olim, dubitãt etiam nunc Iudæi num Christus sit Messias: dubitauit Diagoras olim, Epicurei dubitant adhuc, an Deus aliquis sit, an res humanas administret: dubitarunt olim Quintiliani, dubitant etiam nunc pleriq;, an Apocalipsis sit liber Ioannis Apostoli: quid? numquid Catholica Ecclesia dubitauit etiam? Minimè gentium.

Absit

Absit ut hæc dubitet de ijs, quæ ipsa inde ab initio Apostolorũ probauit, vsurpauit, quæ ipsa semper defendit, ubiq; asseruit, deseruit nusq;. Itáne nos Germani peregrinamur in Ecclesia Dei, ut quid hæc probet, quid improbet, quid habeat sacrum, quid prophanum, ignoremus?

Non modo receptum ab vniuersa Ecclesia eum Machabæorum librum, abunde testatum reliquit Concilium Carthaginense: verum precari quoq; & offerre pro defunctorum animis, ab ipsis receptum esse atq; instauratum Apostolis, consensus Catholicus euicit Christiani orbis. Ioannes Damascenus, author antiquus, nec minus grauis, quàm doctus, refutans eundẽ sui temporis, qui etiam hoc nostrum inuasit, Arianum errorem, sic scribit. Vide, inquit, quid dicat scriptura sacra. Iudas enim ille Machabæus in Sion ciuitate magni regis, cum intellexisset populum huic ciuitati subditum, esse ab alienæ gentis hostibus cæsum, cumq; interfectorum sinus scrutari iussisset, reperta sunt idola: itaq; cõfestim pro vnoquoq; illorum ad dominũ, qui ad misericordiã paratus est,

propitiatoria munera obtulit, fecitq; rem plenã pietatis & charitatis fraternæ: vnde quemadmodum ab omnibus alijs, sic etiam ab ipsa scriptura S. magna habitus in admiratione est. Sancti autẽ Apostoli, discipuli Saluatoris, qui huius verbi, & mystæ et testes occulati, ambitum orbis per tremenda, & impoluta et viuifica sacramenta venantes viuum ceperunt, memoriam eorum, qui in fide obdormiunt, faciendam sanciuerũt. Quod etiam firmiter admodum citraq; contradictionem à terminis terrarum ad terminos vsq;, indeq; ab initio ad hoc tẽpus præsens et usq; ad finem mundi obseruat, obseruabitq; Apostolica & Catholica Ecclesia. Non inaniter hoc aut frustra, neque absq; certis rationibus, quasi fortuitò sanciuerunt Apostoli. Etenim quæ Christiana religio erroris nescia suscipit, perpetuòq; seruat incõcussa atq; integra, hæc vana esse non possunt, verum sunt omnia vtilia, sunt Deo grata, opemq; ferunt & cõducunt saluti nostræ plurimum. Hæc Damascenus.

Qui tametsi et ipse scriptor vetustus esset et approbatus, nolebat tamen eam Maccabæi

bæi textus interpretationem alijs priuatam videri & suam, sed ut esse Catholicum scripturæ sacræ intellectum demonstraret, perpetui consensus suffragia ex vetustioribus producebat. Itaq; sic pergit. Dionysius igitur rerum diuinarũ, inquit, multum, profundeq; peritus in ea, quæ ipsius de defunctis extat, doctrina, dixit: (uidelicet ut ex sacrosanctis illius verbis huc aliquid ad euidentiorem demonstrationem concinnemus) q; sanctorũ preces et in hac, & in ea, quæ post mortem est, vita, ijs, qui digni pijs precibus censentur, quales sunt, qui in vera fide decesserunt, efficaciter prosint. Sanctus antistes igitur petit, quæ Deo grata sunt, et quæ ab ipso sperat donanda. Precibus ergo, ad dei clementiam quæ fiunt, petitur ut defuncto peccata ea, quæ per infirmitatem cõmisit, dimittat, collocetq; eum in regione viuorum, in sinu Abrahæ, Isaac, et Iacob, eoq; in loco, in quo nec dolor sit, nec tristitia, nec gemitus. Vides aduersarie, inquit Damascenus, quemadmodum affirmet Dionysius, preces pro his, qui sancta spe obdormiuerunt, vtiles esse:

Quæ olim Dionysio tributa sit authoritas, quæ erga Christum fides, quæ rerum diuinarum scientia, scripta illius non dissimulant, nec S. Patres vnquã conticuerunt, nec nos, si sanæ mentis simus, Germanos tergiuersari decebat. Docet ille non modo pro defunctis et preces fundi oportere, & offerri sacrificia: verũ ostendit etiam quo pacto hæc omnia fieri, et quibus ritibus oporteat: quæ Damascenus quidem non attigit, sed ecclesiastica eius hierarchia abunde isthæc, si qui forsitan requirant.

Dionysio subiungit Damascenus Gregorium Nazianzenum, ob excellentem cœlestis philosophiæ doctrinam, cognomento theologum, eumq́ sic introducit in funebri oratione, quã ad fratrem Cæsarium de matre sua habuit, perorãtem. Ea igitur, inquit, quæ in potestate sunt nostra & dedimus & dabimus, oblaturi scilicet quotannis honores & memorias.

Breuiter hoc quidem Gregorius, ut solet, & ideo nõnihil obscurius, quænam illa sint quæ dederint, quæ sint deinceps daturi, qui honores isti, quæ memoria: eam ob causam

Damascenus

Damaſcenus Chryſoſtomum adduxit quaſi locupletem interpretem Nazianzeni. Ipſe namq; in præclaris illis in Paulum Cōmentarijs ita ſcriptū reliquit. Cogitemus, inquit, quî ꝓdeſſe poſſimus defunctis, Demus eis, quod præſens eſt, ſubſidium, eleemoſynas dico & oblationes: feretq; hæc res illis & ſubleuationem, & lucrum ingens, & vtilitatem egregiã. Non fruſtra enim, neq; caſu quodam fortuito in Eccleſia Dei à Chriſti diſcipulis, uiris ſapientiſſimis ſancita hæc et tradita ſunt, vt ſacerdos in tremendis illis myſterijs faciat pro his, qui obdormiuerunt in fide, preces: norant enim plurimum ex ijs ad illos emolumenti rediturum.

Argutè quidē Dionyſius, ſtrictim Nazianzenus, ſed expreſſè Chryſoſtomus et grauiter, rem cōplexus eſt penè vniuerſam, de qua Aeriani ambigebant: ſcz quiſnam pro defūctis fundi preces, inſtituiſſet, flagitabãt oſtēdi, quaſi hoīm ſuperſtitione res illa in Eccleſia emerſerit, non autoritate Apoſtolorū, non teſtimonio ſcripturarū. Errorem eum ut refellant S. Patres, docent hunc parentandi morem ab Apoſtolis inſtitutū, ab Eccleſia

 vbiq;

vbiq; receptum vsurpatumq; esse, ut in sacrificij mysterijs fiant preces, & eleemosynæ erogentur in pauperes, pro subleuatione eorum, qui in vera fide obdormierunt.

Quamobrē profecto homines nostri sese tanto maiori obstringunt scelere, quāto hæc parentalia sacra augustiore sunt authoritate & ratione in Ecclesiam introducta. Cuius rei cum penè omnes pij, tum et ipse Gregorius Nissenus nos grauissimè admonere videtur. Nihil, inquit, absq; ratiōe, nihil absq; vtilitate à Christi discipulis ac præconibus traditū, & vbiq; in Ecclèsia Dei constabilitum est. Proinde res est vel apprime vtilis Deoq; accepta in diuinis illis & fulgētibus sacrificijs facere mentionem eorū, in recta fide qui hac vita decesserunt.

Num aliud nunc Ecclesia, quā fecit olim, cum viri isti, & plane viri doctrinam eam, quam accceperant àb Apostolis, sparserunt in Christiano orbe? Nihil profecto. Alium in finem neq; illæ sacerdotum liturgiæ, neq; hæ preces nostræ, neq; istæ in pauperes eleemosynæ fiunt, neq; hæc reliqua pompa funebris, nisi Caroli Imperatoris spiritum ut

Deo

Deo cõmendemus,ut huic litemus ad misericordiam, illum erigamus ad spem veniæ. Eum in exequijs vsum nobis commendat Tertulianus. Vxor pro anima mariti orat, inquit,et refrigerium postulat ei,et in prima resurrectione consortium, & offert annuis diebus dormitionis eius. Eundem et D.Cyprianum secutus dicit se pro Celernia,Laurentio & Ignatio semper offerre tum, cum martyrum supplicia,et dies anniuersaria cõmemoratione celebrantur. De Monogamia lib.fol. 595. epist.5. lib.4.

Quid vero dicam de D. Ambrosio? q̃ studiosus ille in hoc, pro defunctorum subleuatione ne cessent preces Ecclesiæ:ne ipse desit,cui possit,in hoc mutuo deprecandi officio, vt iuuet defunctorũ spiritus missæ sacrificio,ut consoletur ꝑpetua ad Deum oratione.Sic enim Gratianum et Valentinianũ Cæsares alloquit̃ defunctos. Nulla dies vos silentio præteribit; nulla inhonoratos vos transibit oratio: nulla nox donatos precum mearum contextione transcurret: omnibus ego vos oblationibus frequentabo.Et dum fratris sui facit in sacrificio altaris mentionẽ, Tibi omnipotens Deus, inquit, innoxiam

cõmendo

cõmendo animam, tibi hostiam offero, cape propitius, ac fraternũ munus, sacrificium sacerdotis. Si impietatis esset offerre pro anima defuncti hostiam Eucharistiæ, si ita sceleratũ iudicasset Ecclesia, exequias celebrare, iusta peragere, quemadmodum hæc peruersa ætas nostra et censet, & clamat importune, næ aut sanctus ille uir Ambrosius, quẽ etiam purum doctorem dixerunt hæretici, plane desijt esse Christianus, non solum episcopus, aut nobis certe æque licebit Carolo Imperatori, atq; illi Cæsari Valentiniano, hæc sacra parentalia pie facere, hæc iusta ritè persoluere.

Quod fratri suo Ambrosius, idem præstitit suæ Matri Monicæ Augustinus. Illa quoniam moriens petiuerat, non se splendido contegi sepulchro, non diuersis aromatibus condiri, sed ut ad altare in sacrificio missæ, sui fieret memoria, supplicationibus: fecit ergo filius, quod volebat mater, vsusq; tali est ad Deum orõne. Inspira Domine Deus meus, inspira, inquit seruis tuis, fratribus meis, filijs tuis dominis meis (quibus et voce & corde, & literis seruio.) Vt quotquot

Augustin. confeßi. libr. 9. cap. 13.

hæc

hæc legerint, meminerint ad altare tuum Monicæ familiæ tuæ, cum Patricio quondã eius coniuge, per quorũ carnẽ introduxisti me in hanc vitam. Ardens sane, plenaq́ue pij affectus oratio, quã ille vir certe talẽ nunquam ausus habuisset, ni deo gratas has preces, et matri suæ necessarias fuisse, certò cognouisset: quemadmodũ mille alijs in locis euidentissime, tum profecto in quadam Apostolici sermonis enarratione non obscure. Orationibus sanctæ Ecclesiæ, inquit, et salutari sacrificio & eleemosynis, quæ pro eorum spiritibus erogantur, non est dubitandũ, mortuos adiuuari, vt cum eis misericordius agatur à Domino, quàm eorum peccata meruerunt. Hoc enim à Patribus traditũ, vniuersa obseruat Ecclesia, vt pro eis, qui in corporis & sanguinis Christi communione defuncti sunt, cum ad ipsum sacrificium loco suo cõmemorantur, oretur, et pro illis quoque id offerri cõmemoretur. Prodesse igitur, & valde prodesse quidem, has parentales preces, Apostoli docuerũt, vniuersa Ecclesia testatur, S. Patres literis mandauerunt, vnanimi Christiani orbis consensu idem ad nos

Confe. lib. 9. cap. 13.

In uerbis Apostoli Serm. 32.

propagatũ peruenit. Quid requirimus amplius? Per sese res ista est ipsa meridie clarior: atq; id videri non posse, extremæ cæcitatis est, nõ velle, cum possis, infinitæ peruersitatis, atq; malitiæ. Si vbertate hoc in loco esset, non breuitate agendum, quantum, ô Deum immortalẽ, nobis, ut reliquos taceam, vel vnus Augustinus posset suppeditare flumen orationis? quantam argumentorum vim Epiphanius? robur quantũ Bernhardus? dum hic Petrobusianos refutat, ille Aerium Arianum? Omitto subsecutæ ætatis authores, omitto doctores Scholasticos, omitto præclara lumina huius seculi, Roffensem, Eccium, Coclæum, Hosium (quos viros?) ac similes: quibus vniuersis ut Deus et fides vna est, ita eadẽ hac de re, vna scripturarum intelligentia, vna interpretatio, vna mens, vna veritas. Viuentium preces valere pro spiritibus mortuorũ, vidit Macchabæus in Palestina, viderunt Sacerdotes Hierosolymis, viderũt in vniuerso Christiano orbe id fieri oportere Apostoli: quorum instauratione secutus est Dionysius Ariopagita Athenis, Tertulianus & Cyprianus

in

in Africa, in Asia duo Gregorij, alter Nazianzi, alter Nyssæ, Chrysostomus Bysanthij, Athanasius & Cyrillus Alexandriæ, Ambrosius Mediolani, Augustinus Hippone, Theophylactus in Bulgaria, et alij alibi, quis enim enumeret vniuersos? etenim plurimi sunt: quorum cum de eodem hoc exequiarũ instituto sint non eædem modo sententiæ, sed verba eadẽ penè quoq; : potest ne fieri, vt hic tantus consensus, tam dissitis, tamq; longe lateq; remotis in locis, sibi vndiq; cõstans, aliunde sit, quam à Spiritu Dei, profectus? Cupio equidem, quid mussitẽt, audire. Nam si aiunt: desinant, quæso irridere cultũ diuinitus institutum, Deo nõ ingratum, homini perutilem, atq; necessarium: sin negãt, quid tandem Ecclesiæ fecerint reliquum? Nihil penitus: vmbra erit, aut quod minus est, ut Pindarus ait, somnium umbræ. At interea quo in loco erit Paulus, qui esse Ecclesiam dixit columnam veritatis? Hæc profecto ut corruerit necesse est, ille ut sit vanè locutus. Tum vero ipse Redẽptor Dominus quo in honore? Si iste exequiarũ cultus idololatria est, vti nunc volunt pleriq;, infirma

 fuit

fuit petra, quæ Ecclesiam sustinuit, validiores portæ inferorũ, quæ illam in tantã perfidiam præcipitem traxerunt.

Sed nimis multa de prima quæstione: ad alteram veniamus: ut cum ipsa exequiarum iusta, Deo certum est probari, et conducere mortalibus, quibusnam & qua lege queant prodesse, ac inprimis Carolo Imperatori: ne hæc sacra, impia esse, nec hi tanti apparatus inepti, aut inutiles omnino videantur. Ad cuius rei explicationẽ scitu necessaria sunt: primum, quæ ratio Dei sit ad animã defuncti, deinde quæ huius vicissim ad illum: postremo, quæ nostra deprecãtium ad vtrũq;: Ad Deum quod attinet, quoniam iustus est, peccatorem non exaudit, præsertimq; eum, quẽ ob lætale crimen lex diuina tenet reum. Quocirca homo, si aut nostræ ꝓ illo, aut suæ pro se preces valere debẽt apud Deum, necesse est, vt sit ab ipso Deo per meritũ Christi iustificatus, amicus Deo factus ex inimico, Est autem duplex iustificatio, vna per lauacrum regenerationis, altera ꝑ claues pœnitentiæ: & nisi illa præcesserit, hæc sequi non potest. In priore iustificatione largitur

Deus

Deus gratis homini gratiam & donum in gratia, fidem, ſpem, charitatem: fidem idcirco, vt poſſit credere ea verà eſſe, quæ Dei verbum pronuntiat: ſpem, ut ratam habeat Dei de ſempiterna vita promiſſionem: charitatem vero, ut incipiat facere mãdata Diuinæ legis.

Dona hæc quidem Dei ſunt, ſed homini data Diuinitus cum ſunt, eius fiunt propria, planequé habitudines quædam ſpiritales, adeòq;, vt eis, ſi velit, recte queat, ad receptionem iuſtificatricis gratiæ vti: ſin nolit, ad reluctationem, abuti. Eamq; ob cauſam poſteaquam baptizandis inculcata catecheſis eſt, rogantur an credãt, an renuntient Sathanæ, an velint baptizari. Si adulti ſunt, aiunt ipſi: ſin paruuli, ſpondẽt pro eis patrini. Eadem hæc Dei bona homini ut obtigerint, continuo, quæ illa informet, vt poſſint meritoriè operari, iuſtificatrix gratia ſubſequitur, hominẽq; in ipſo lauacro regenerat, culpæ maculam abſtergit, nitorem gratiæ reddit, pœnam æterni ſupplicij condonat, vitæ reddit ſpem ſempiternæ.

Eos ſane iuſtificati hoīs terminos ipſemet

circũſcripſit Tito ſuo D. Paulus. Apparuit, inquit, Gratia Dei, ſalutaris cunctis hominibus, erudiens nos, ut abnegemus impietatẽ cupiditatesq́; mundanas, vtq́; ſobriè poſſimus, & iuſtè, et piè viuere in hoc ſeculo, expectantes ſpem beatam ac reuelationẽ gloriæ magni Dei &c. Non nuda nobis gratia illa σωτήριος confertur, ſed, quemadmodũ Clemens Alexandrinus ait, ſubſtruuntur ei, tanquàm tres columnæ, (quibus illa veluti aliquod Dei templum nitatur) fides, quæ erudiat nos de veritate: charitas, per quã fides operans, nos faciat ſobriè, iuſtè, pieq́; viuere: ſpes, quæ expectet reuelationem futuræ gloriæ.

Hoc pacto cum iuſtificatus homo eſt, altera iuſtificationis opera nõ egeret, ſi non in alia peccata, quæ ipſe ſponte ſua cõmittat, relaberetur. At quoniam relabitur aliquando in lætalia, quotidie in delicta venialia: reperit et huic malo Deus remedium, Sacramentum pœnitentiæ, tanquàm facti naufragij ſecundam tabulam: vt huius beneficio liceat æternæ mortis diluuium effugere. Quoniamq́; cum hoc peccati genus nõ alie-

ni

ni criminis, sed ꝓprij facti culpam habeat, ad recuperandam iustificatricem Dei gratiam, non sola fides, aut spes, aut dilectio requiritur: verum etiam præter has, & pœnitentia necessaria est, cuius partes sunt tres: prima, ut homo corde contritus doleat odio criminis, quod cõmisit, amore Dei, quem offendit: secunda, ut sacerdoti sigillatim nominatimq́ peccata sua cõfessus dicat cum Dauide, Domine peccaui, audiatque vicissim, Dominus abstulit peccatũ tuũ, scilicet ut deleta culpa, & reddita gratia, æterna pœna dimissa, & vita restituta, iterũ sit iustus: tertia, ut cum eodẽ rege Dauide sustineat temporalem pœnam, legiq́ diuinæ vel temporaliter in hac societate hominum satisfaciat, aut quia libidine & gula peccauit, fame expiet facti pœnam & ieiunijs: aut iniuria in proximũ, eleemosynis exoluat: aut in Deum negligentia diuini cultus, sarciat precatione crebriori.

Quanquàm vero perbreuiter ego hæc nunc: non tamen dubito, quin ea habeat doctrina fundamentũ quidem veritatis in S. literis, sanum vero illarum intellectum in

Ecclesia

Ecclesia Catholica. Proinde ut singula eius membra hoc in loco iam argumentis cõfirmem suis, nec opportunum censeo, nec necessarium, quando nusquàm non obuia illa sint, & in promptu studiosis. Illud autem huius propositi nostri propriũ est, accurate constituere, quæ hominis debeat esse ratio ad Deum, ut talis fuerit in hac vita, ut post mortem nostris possit precibus iuuari.

Euangelij vox est, eum, qui baptizatus sit, & crediderit, saluũ fore: qui non, illum iam esse condemnatum. Itemq; illud Dauidis, Ab inferno non esse redemptionem. Quapropter vtrumq; hinc recte sanxit Ecclesia, quippe pro his, quorũ vita fuerit talis, ut certo eos constet cõdemnatos expirasse, orandum non esse: contraq; pro his, qui in vera fide, scilicet per charitatem operante, obdormiuerint, spem nobis pro se orandi re lictã Sed ut propius veniamus ad rem, non sola illic fides & mortua intelligi potest, sicut quondam Eunomiani existimabant, & nunc contendunt sectarij: Verum ea fides, quæ efficax est per charitatẽ, ut & spei suus quoq; locus et pœnitentiæ maneat integer.

Etenim,

Etenim, Nihil valet in Christo, inquit Paulus, nisi fides, quæ per charitatem operatur: et Christus, Nisi pœnitentiam egeritis, similiter omnes peribitis. D. Augustinus igitur, vt istinc opinionem de sola fide submoueat, et reliquas virtutes etiam huc subiungat iustificatrici gratiæ, Non ambiendum est, inquit, ista prodesse defunctis, sed talibus, qui ita vixerũt ante mortem, ut possint eis hæc vtilia esse post mortem. Nam qui sine fide, quæ per charitatem operatur, eiusq; sacramentis de corporibus exierũt, frustra illis à suis huiusmodi pietatis impendunt officia. In uerbis Apostoli Serm. 32.

Itáne vero Augustine? Quid? si gratis iustificatur homo absq; ope legis, quorsum operosa illa charitas? Aut hæc omittenda, vt gratis: aut abijcienda vox, Gratis, vt sit per opera. Vulgo dici solet, Concilia tempora, & concordabis scripturam. Nihil certius quàm hominem iustificari à Deo gratis absq; vllo pacto meritorum interueniente. Quicquid enim sum, inquit Paulus, gratia Dei sum. Non solũ igitur iustificatrix gratia, verum etiam ipsum donum in gratia, fides, spes, charitas, sunt gratuita Dei mune-

D ra:

ra: quæ in hac peregrinante vita hominem iustum constituunt: & ita iustum quidem, ut ex dignitate iustificantis gratiæ non peccatum modo remittant, sed ut opera fidei per charitatẽ operãtis etiam mereri homini iustificato queant & præsentis et futuræ vitæ præmia. Centuplũ enim, inquit, recipietis, & vitam æternam. Itaq; D. Augustinus, ut eam diuersi temporis notionẽ exprimeret, similitudine vsus est non minus apposita, q̃ elegante. Non ideo bene currit rota, inquit, vt sit rotunda, sed quia rotũda est, bene currit: sic nemo propterea operatur, vt accipiat gratiam, sed quia accepit, operari meritoriè potest: merita etenim, sicut idem Aug. alibi ait, iustificatum sequuntur, nõ præcedunt.

Ad simplicium de diuersis quæstio. lib. 1. q. 2.

De fide et operibus cap. 4.

Quæ cum ita sint, nec secus queant ex catholico scripturarum intellectu habere, non importunè quæritur, quid homini ei, qui in Gratia Dei & vera fide per charitatẽ operante, & pœnitentia obdormiuit, desit, quo minus illico in cœlum subuolet, cur hisce sacris egeat funebribus: nam si iustus decessit è uita, saluti illius nihil deesse potest: sin iniustus, hæc illi iusta nihil proderunt. Ita sane

quidẽ,

quidē, nisi inter extrema ista spatium Deus reliquisset in medio: de quo tametsi scriptura S. strictim, copiose tamen Patres S. & tota Ecclesia, inprimisq; D. Augustinus cum sæpenumero, tum in Enchiridio suo ad Laurentium. Cum ergo sacrificia, inquit, siue altaris, siue quarumcūq; eleemosynarum pro baptizatis defunctis omnibus offerunt, pro valde bonis gratiarū actiones sunt, pro non valde malis propitiationes sunt, pro valde malis, etsi nulla sunt adiumenta mortuorū, qualescunq; viuorum consolationes sunt.

Enchiridio ad Laurē. cap. 110. De cura pro mortuis, ca. 1. 4. & 8.

Valde bonos intelligit haud dubie tales, quales sunt Martyres, et hi, licet rari illi quidem, qui cum D. Paulo possint dicere, Gratia Dei sum, quicquid sum, et hæc in me inanis non fuit. Quamobrē vero Paule? Quia certamen pulchrū certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. Deniq; restat mihi corona iustitiæ, quam mihi dabit Dominus in illa die.

Agnoscit Paulus, libereq; fatetur passim se Christi merito non suo iustificatum esse, et à Deo receptū in gratiam gratis, nō operis precio, fidemq; pariter et spem, & charitatē

vti gratuita dona Dei diuinitus diffusa esse in cordibus nostris. Pœnitentiæ quoq; suæ varias reliquit querelas: nec dissimulauit se temporales illas pœnas, quibus præsenti seculo satisfactum oportuit, hic luisse, cum ait: Nunc gaudeo in passionibus meis pro vobis, & recompleo ea, quæ defuerunt passionibus Christi, in carne mea, p corpore ipsius. Christi passio nō sustulit temporales pœnas. sed contra sanciuit, vt qui gladium sumpserit, gladio pœnā soluat homicidij, qui furatus, ut satisfaciat pœnæ à legibus p̄scriptæ. A. D. Paulo igitur cum tertiæ parti pœnitentiæ satisfactum manifestè agnorit Ecclesia, nunq̄ pro anima illius, de cuius plenissima salute nullum erat dubium, obtulit sacrificium, aut precata est.

Iam quos valde malos iudicarit Augustinus, non potest videri ambiguum: nimirum eos, qui gratia dei exciderint, qui aut fidem Christi non susceperint, vt Maxentius, aut abiecerint susceptā, vt Iulianus, aut desperauerint, vt Cain, aut charitatis neglexerint officiū, vt vulgo fit contemptu Dei cultusq; Diuini: rebellione in parentes, in magistra-

tus,

tus:ira,odio,libidine,gula,auaritia,menda-
cio,fraude,& similibus in Deum & proxi-
mum delictis:tum quia talium,quæ cõmise-
rint, criminũ causa non pœnituerint intimo
corde contriti,nec ea sigillatim confessi,pe-
tiuerint per sacerdotem veniam & condo-
nationem à Deo. Pro talibus, (si tales tamẽ
liquido cõstat mortem obisse)exequiæ nul-
læ solẽt fieri, sacrificia nulla offerri,nec ero-
gari eleemosynæ. Pro eiusmodi etiam ge-
nere mortuorũ vetat D.Basilius offerri atq;
vllas haberi preces. Nolite decipi, inquit,
Deus non irridetur. Mortuum sup altare ne
offeratis:viuam,inquit,affer hostiam tuam:
non poteris ad reliquias mensæ tuæ splendi-
dos illos regios aulicos inuitare:ex reliquijs
enim quod est,ingratum est. Eas ne tu,quæ
tibi post vniuersam vitã reliquiæ supersunt,
offerre uoles? Basilium explanat Damasce-
nus. Bene Basilius magnus, inquit,et loquit
& docet, sed vide ad quos: quippe ad aua-
ros,ad raptores, & ad eos omnino,qui neq;
fœdus pacemq; vllam curauerunt,neq; mi-
sericordiam. Hoc in numero habẽtur etiam
hi,qui è sacro fonte suscepti nõ sunt. De qui-

bus Augustinus. Nulla ratione conceditur, vt pro non pabtizatis cuiuslibet ætatis hominibus offeratur sacrificium Corporis & sanguinis Christi. In eandem sententiam et D. Chrysostomus & item alij: vnde potest non obscure intelligi, quos extremum Dei iudicium nexu suo teneat irretitos, nequaꝙ eos precibus nostris posse exolui ac reddi liberos.

Restant ergo medij illi, quos ait D. Augustinus nō omnino malos, si hæc ipsis opitulari debeant, esse oportere: in quorum numero et ipse matrem recenset suam. De hac etenim sic se in Cōfessionibus orantē introducit. Quanꝙ illa, inquit, in Christo viuificata, etiam nondū carne resoluta, sic vixerit, ut laudetͬ nomen tuum in fide moribusꝙ eius: non tamen audeo dicere, ex quo eam ꝑ baptismū regenerasti, nullum verbū exisse ab ore eius contra præceptū tuum. Dictum est à veritate filio tuo, si quis dixerit fratri suo, Fatue, reus erit gehennæ ignis. Et væ etiam laudabili vitæ hominū, si remota misericordia discutias eam. Quia vero non exquiris delicta vehementer, fiducialiter spe-

ramus

ramus aliquem apud te locum inuenire indulgentiæ. Quisquis autem tibi enumerat uera merita sua, quid tibi enumerat, nisi munera tua? Dimitte domine, dimitte obsecro, ne intres cum ea in iudiciũ: & quæ sequuntur.

Non orat Augustinus, ut Deus Monicæ pœnã condonet peccati lætalis, sed pœnam temporalẽ peccati venialis, quàm illa merito debuisset precibus ad Deũ, eleemosynis in proximum, ieiunijs in ipsammet se redemisse, ut hac in parte satisfieret pœnitentiæ. Nam etiamsi tũ, cum Dauid peccatũ suum confessus dixisset, Peccaui Domino, & audisset uicissim à Propheta Nathã, Dominus quoque abstulit peccatum tuum, fuit quidem plenissima illa peccati remissio, culpa enim erat & pœna æterna abolita: at pœna tamen quædam temporalis restabat: cui ut Dauid satisfaceret, dixit Nathan, Verum tamen filius, qui natus est tibi, mortem morietur. Nec dubium est, quin Dauidem, si eam non exoluisset pœnã in hac vita, post mortẽ ut expiasset, fuisset necessariũ. Pro hac similibusque eiusdem generis defunctorũ pœnis

orat

orat Ecclesia in exequijs, non ita dignitate cõfidens sua, quàm plenissima satisfactione Christi: qui ex sese, tanq̃ ex capite in singula Ecclesiæ (quæ ipsius corpus est) mẽbra pro analogia compagis, gratiã diffundens facit ut illa meritis non careant suis.

Hoc igit̃ iure nostro, & illa lege Redemptoris Christi freti, pro Carolo Imperatore hæc iusta soluimus, hæc offerimus sacrificia, hasce preces fundimus. Et quanq̃ eum in prima classe eorum, qui (sicut Apostoli, cæteriq̃ Martyres patresq̃ Sancti) nequaq̃ egent istis, nõ audemus ponere (tametsi ea in classe illum positum sperare, dubito, cur non liceat): in vltima tamẽ ne locemus illũ, multa nos eius & dicta sapienter, et piè, fortiterq̃ facta prohibent. Quæ si huc præter institutum accersisse videbor, uelim eum in finem id à mè factũ norint omnes, ne, cum sint quorundam varij, nonnullorum quoq̃ fœdi de hisce Caroli exequijs sermones, existimetur, hic Imperator ita vixisse, ut nobis hæc cura prorsus sit irrita, illi planè futilis atq̃ inanis.

Geneologiã eius ego hìc non recensebo:

alias

aliàs enim illa et nota est et celebrata à plurimis: nec res ab eo gestas, cum vix integris queant describi voluminibus, decantabo: sed vitam illius moresque cursim attingam, vt quid ex hisce funebribus sacris ad illum fructus rediturum sit, cerni possit euidentius.

Carolum piè educatum fuisse, omnique instructum genere virtutũ, quæ vel ad priuatæ vitæ disciplinam, vel ad munus imperatorium, vel ad cultum diuinũ, defensionemque Christianæ reip. erant necessariæ, nõ ita nobis ex diligentia magistrorũ, quàm ex præclaris illis, quibus orbem terrarum impleuit, rebus gestis iampridem innotuit. Statim initio puer admonitus est, vt, quoniam ordine certo discendũ sit, ipse sesemet, quasi viuum imitandi exemplum intueretur: quando homo sit veluti mundus quidam paruus, ex cuius cõsideratione triplex ortum extet genus philosophiæ: vnum quod ad rationis pertineat orationisque normã: alterum, quod in rerum naturaliũ cognitione uersetur: tertium, in formãdis moribus situm esse, & honestis vitæ actionibus. Videlicet eam esse huma-

næ compagis structuram, vt pars ima sit cōmunis naturæ propria, ideoq; etiā naturalis appelletur: media, quoniam affectiones cōplexa sit et ipsam adeo vitam, vitalis soleat nominari: postremā eò, quia sensus animantis regat, sedemq; & rationis & orationis occuparit, dici animalē. Ac quamuis homo is, quem D. Paulus vocat ψυχικὸς hisce partibus integre constet sic, inferiores vires vt obtemperent rationi tanq; præstantiori: nec tamē ad bene beateq; viuendum sufficere, nisi mens illius talis homīs vera sit Christianæ religionis doctrina recte imbuta: vt sicuti brutæ vires menti subditæ debeant parere, ita mens vicissim subiecta Deo pareat.

Carolus igitur eum disciplinæ ordinem ingenio suo, studijsq; aptum ratus, principio se diuersarū cognitioni linguarū applicuit: breuiq; tempore tantum profecit, vt Hispanice perfectè, eleganter et Gallice et Italice loqueretur, Latine sic satis, Germanice mediocriter. Quo in studio admirabilis quædā illius, ac propemodum diuina memoriæ vis apparebat. Nec tamen rhetorum more ille, prolixe ut possit fuseq; differendo, ut Isocra-

tes

tes volebat, ex re parua magnã facere, qđ popułare illi visum est: sed quod plane regium esse iudicabat, vt breuiter diceret & laconice, & multa paucis enuntiaret, sibi elaborandum arbitrabatur: malebat etenim in his, quæ pulchra & honesta sunt, nõ tam diserte eleganterq́ loqui posse, quã præclare agere velle, videri. Contempsit igitur illos semp, qui Herillum atq; Aristonem secuti, ἄνευ τοῦ πράττειν, μέχρι τοῦ λέγειν, hoc tempore philosophabantur: cum, quemadmodũ Bias monebat, didicisse opportune silere, præstet nõ nunq́, quàm ornate atq́ diserte dicere.

Linguarũ studio mox mirabilem quandam rerum scientiam adiecit. Quanquàm vero nullã philosophiæ partem, quæ futuro Imperatori vtilis censebatur, neglexit, sed integre attigit omnes, nullam præteriјt: nec tamen in vllo genere vel suauius versatus est, uel immoratus pertinacius, quàm in mathematũ disciplinis, in geometria, in astrorum contemplatione. Animaduertit enim earum artiũ cognitione opus esse vel in primis, si bellum gerendum sit, si castra metanda, si capiendus prælio idoneus locus, si

 exercitus

exercitus in remotiores orbis partes ducendus, si oppugnandæ vrbes, ne tormenta incertis ictibus, inaniq; sumptu & opera displodantur. Nec illum certe sua fefellit opinio: etenim quàm ille non modo alijs sese ea in re solertem præbuerit artificem, sed quàm ipse sibimet operam nauarit et necessariam semper, et bellis suis sæpe peropportunam, euentus nobis patefecit. Astronomicis autẽ speculationibus, credo eum voluptatis causa magis deditum fuisse, ut sapientiam summi illius artificis Dei miraretur, quàm ut fideret aliquid superstitiosis prædictionibus ea ex arte profectis. Has sane disciplinas, quæ licet aut ipsa consideratione, aut orationis exitu terminentur plerumq;, plus certe quàm credibile est, eis laboris impendebat: at minus tamẽ, quàm illis, quæ naturæ vires scrutantur, ut firma valetudine, ut temperanter cibo et potu, ut continenter casteq; coniugio vti possit: cum id studij genus & vtilitatem in se magnam habeat, & laudem virtutis, & quod præcipue spectandum duxit, præceptum diuinæ legis. Græci vtranq; virtutẽ, continentiam

dico,

dico, & temperantiam, σωφροσύνην, dixerunt, ſanæ mentis quaſi conſeruatricem. Non inſcite igitur Demoſthenes ſapientiæ fundamentum voluit eſſe, caſte temperanterꝗ viuere.

Quàm vero Carolus Imperator vtriuſꝗ virtutis amator ſtudioſus fuerit, & aſſiduus cultor, vniuerſa victus ratio et uſus edocuit. Cœnam omiſit ſemper, ſolo cõtentus prandio, eoꝗ non tam opipere condito, quam reficiendis membrorũ viribus accõmodato. Conuiuia ipſe aliena rarus adijt, ſua nõ crebra habuit: ne ſibi malũ aliquod accerſeret crapula, nec alijs præberet crapulandi exemplum: vnde & animi & corporis vigor extingui ſoleat, & opes priuatæ exhauriri, & non raro omnis generis ſequi libido, temeritas, pugnacia, & alia vitia, quæ luxum ebrietatemꝗ comitantur.

Memini grauem quendam virum initio Smalcaldici belli interrogatum de euentu eius contentionis, quid ſibi videret, reſpondiſſe, Conſilia principum mero intumuiſſe, Cæſaris autẽ rationes diu ſale maceratas eſſe. Ex ſobrietate Imperatoris nõ obſcurum

protulit iudicium de futura victoria, homo sagax nec imperitus. Ferunt Cæsarem, cum Centurionem quendam inter prandendum sobrium vidisset, mox à prandio ebrium, dixisse se vehementer odisse hoīem, qui dum sitiat, paruis Cyathis, cū sitim restinxerit, vti maximis poculis consueuisset. Argutè notabat ebriosorū hominū peruersitatem; ꝙ, cum ipsa natura semper modū satietatis norit, ratio hoīs sæpe sciens volensq́ ignoret. Significabat etiam prudentissimus Imperator, uinolentorum hominū operam non modo inutilem sibi esse, sed infelicē quoq;: cum si homini rationem demas, ut solet crapula, eum sensu bestiæ simillimum esse, corpore, cadaueri: & ob id detestandum vtrobiq;. Si in aliqua laudis parte tributum est Iulio Cæsari, quòd, cum alij ad euertendam Remp. accesserint ebrij, ipse solus sobrius: quanto encomio celebrandus Carolus Cæsar est, qui maxime sobrius accessit ad instaurandū imperiū Christiani orbis, vt iam vndiq; fatiscens colligaret, vt iam Turcarū faucibus penè vniuersum exorptum periret, ut collapsum, ut distractum, ut attritum

praesentibus

præsentibus periculis liberaret ab immani interitu? Sed hæc vulgo nota sunt, interiora videamus.

De incredibili continentia sua, de casto inuiolatoq; cõiugij thoro, quod ipse alijs nõ statuit in se exemplum? quàm legẽ non tradidit? Prolixũ esset recensere. Sæpe ad longũ tempus coactus fuit abesse à cõiuge sua, qp eum aut bella in longinquis orbis partibus gerere oportebat, aut negotia imperij procurare in Germania, aut alijs in prouincijs regnisq; constituere resp, pacẽ firmare, ut non semper, cum liberet, liberis operam dare posset. Quis autẽ interea, vt nõ dicam sinister aliquis rumusculus de incontinẽtia illius, sed quæ vel leuis oborta suspicio est? Celebrant Alexandrum Magnum Græci, suum Scipionem Africanum Latini: qp hic abstinuit à spõsa principis Celtiberorũ, ille à filiabus deuicti regis Darij. Sed Carolus simillima multa, illustriora nonnulla nobis exẽpla reliquit. Etenim quando ille orbem Christianum victor peragrabat, an nõ, cum omnes omnia ad nutũ illius facerẽt, earum, quas voluisset, amorib. potuisset frui, more

aliorũ

aliorũ principum? Cohibuit autẽ non solum ipse se, ne alieno thoro corpus, proprio peccato animam inquinaret: sed operam dedit quoq;, ut pudicitiæ fœminei sexus, quantũ fieri potuit, vbiq; parceretur. Historias varias de hac virtute Caroli referre possem, si res ista apertius dici de se permitteret.

Verũ minutiora adhuc ista sunt, ad maiora veniamus, in ipsumq; Cæsaris Caroli pectus et cor, quod ille virtuti nunquàm clausit, penetremus. In cuius recessu duæ eluxerunt, quasi custodes vniuersæ reip. Christianæ, iustitia & fortitudo animi: quarum altera vniuersos ciues Cæsar complexus viriliter Christianam remp. defendit ab iniuria externi hostis: altera sic iura domi ministrauit singulis, ut rem priuatam possideant ac suum quilibet, citra molestiam alterius.

Sed in hanc istam cogitationem cum incidimus, infinita rerum maximarum copia, quæ tanq; varius quidam et locupletissimus exquisiti thesauri cumulus, me, propter dubium, (ut fit in magna vbertate) delectum, prorsus facit inopem oratorẽ, ut neq; exordium reperire queam, nec exitum vllum

euoluere.

euoluēre. At enim cõſolatur me, quòd hæc aut copioſè ſint fuſeꝗ tractata ab alijs, vt, ſi qui ea velint cognoſcere, deeſſe nõ poſſint: aut quia non magnopere ea deſiderent, etiã ſi præclarè extent conſcripta, fruſtra à me cõmemorentur: ne ergo ingratum ego his præſtem, illis inutilem laborē, per tranſennam euidentiora membra quædam perſequar, artus relinquam minutiores.

Qua autem conſtantia Carolus, qua animi celſitudine fuerit admirandus, & quàm generoſum ſpiritũ præ ſeſe tulerit ſemper, non obſcurum ſpecimen adoleſcẽtia illius cõfeſtim initio perhibebat. Continuò enim poſt obitum Ferdinandi regis, aui materni, tradita ſunt omnia auita regna ei gubernanda, adoleſcenti videlicet vix decimum ſeptimum annum ingreſſo. Quæ ille, Mediusfidius, non ſolum puer ſuſcepit viriliter, eoꝗ animo & virtute cõſtituit, rexit, defendit, ab iniuria vicinorum tuta vt eſſent: verum etiam vniuerſis Chriſtianę reipublicæ principibus rectè imperandi quaſi legem ſanciuit atque tulit: idque ea quidem laudis opinione, cum pueri ſoleant vereri

F ſenes,

ſenes, illum ſenes ut veriti ſint puerū: vnde hoc etiam euenit, quod rarò accidit antea, ut, adoleſcentē annos vndeuiginti natum, ſeptem Electores vnanimes imperatorem deſignauerint abſentem. Nec in toto terrarum orbe aut rex, aut princeps vllus repertus eſt (excepto Franciſco Gallorum rege) qui non ingenuè Carolum ſolum idoneum iſtis temporibus, Rom. imperij moderatorem profiteretur.

Erat autē Franciſcus flagrante ingenio, rerumq́ bellicarū percupido circumuētus, plurimumq́ reputatis regni ſui viribus cōfidens, atq́ ea perſuaſione adulatorū, ut Carolum ferre æqualem, iudicarit eſſe ſummæ ignauiæ, ſuperiorē, ancipitis pículi. Eamq́ ob cauſam, cæpit illico Cæſarē magnis iniurijs et varijs laceſſere, atq́ apto bello tandem deuexare Inſubres, nec obſcuro ſpū ſpem fouere potiundę totius Italię. Neq́ hiſce eius immaturis cupiditatibus defuit arridens fortuna initiò: Mediolano. n. ſimul ac uim intuliſſet, potitus eſt, receptis nō paucis alijs oppidis præterea. Cæſar tanta affectus iniuria, ad Ticinum, prælio cum Franciſco

decertauit:

decertauit: & cum nobilissimi quiq;, & ducum, & procerum Gallorum, interfecti essent: ipse rex quoq; captus in potestatẽ Caesaris deuenit. At vero ea in victoria, quae victoris Caroli clementia effulsit? quae moderatio animi? quae iustae in pręmolestũ hostem irae cõpressio? Nam non solũ ille captiuo regi, quem licuisset, vt insolentem hostẽ perdere, vitam indulsit: verum etiam ei liberè abs se dimisso, sororẽ suam iunxit matrimonio, & regnum amissum vltrò restituit. Libera omnium gentium confessione potuisset Carolus tum, cum illud regnum tãto perculsum terrore, in sua haberet potestate, totius Europae monarcha, dominusq; euadere: si ita voluisset priuatę potentię studere, honoriq; velificari suo, vt saluam cupiebat esse Christianã rempublicã, in qua, ne tàm solus dominari, quod tyrannorũ est, quàm regum optimum quemq; habere socium liberi imperij & amicum, cupere videretur, satis omnino, abundeqúe testatum fecit, reddito Gallis rege Francisco.

At regnum Neapolitanũ, inquis, ei eripuit, Mediolano eum priuauit, tota expulit

Italia, in Belgio nihil iuris ei reliquit, consilijs eum semper tenuit irretitũ, armis sæpenumero oppressit. Fatendum quidem hoc est: sed quo iure factum, quæris, quaue iniuria? Deus solus nouit, opinor: siquidem neuter iudicem, legẽ vterque attestatur: quis ergo se tantæ liti, tamque ambiguæ arbitrum audebit, aut disceptatorem profiteri? Meo quidem iudicio satius est id, quod plerunque, quàm raró quod accidit, statuere (quemadmodum de Pompeij, Cæsarisque cõcertatione euentus comprobauit) quod

Victrix causa Deo placuit, sed uicta Catoni.

Neapolim Cæsar viriliter defẽdit, animosè extorsit Mediolanũ bis, tertio obtinuit, obtinetque etiam nunc, alterũ in orbe lumen exoriens, Rex Philippus, inuitissimis Gallis.

Iure autem hæc Cæsar, an iniuria fecerit, leges exequiarum vetãt disputari à nobis: quanquam huc ego sum, quam illuc propensior: eoque cũ varijs coniecturis, tum profectò non leui argumento ducor, quod Carolus sæpe, quando in bellum inuitus trahebatur, fuit solitus dicere, se cum Christianis principibus nõ nisi coactum grauiterque lacessitum bella suscipere,

pere, cum Paganis vltrò, spontecp sua. An euidētius aliquod, certiuscp postulamus hac de re testimoniū? Etenim quo ille sumptu? quo labore? quo animo aduersus Solemanum bellum suscepit tum, cum iam ceruicibus iste tyrannus immineret nostris, cum liberos, cū coniuges è conspectu ad stuprum miserabilemcp seruitutē diriperet, cum aras diuorum & templa vastaret, cū nihil, quod Conseruatori Christo contumeliosum esset, nobis ꝓbrosum, omitteret? Quo animo ille tum, inquam, eam suscepit expeditionem? Ambitionis ne, an extremæ necessitatis causa? Duxerat in fines Austriæ Solemanus ter centum millia equitum, peditū millia centum, aut plura etiam. Pares quidem huic tyranno erant opponendæ copiæ, cum quadā dignitate Romani Imperatoris: sed vnde? Ex sola ne Germania? Hæc citra cōtrouersiā per se impar fuit omnino. Ex alijs Caroli regnis? At ea exhaurire, priuatis cōmodis obstabat, quibus solūmodo Carolū studere maleuoli homines dictitabāt. Verū ille, sicut de Fabio Maximo Ennius dixit,

Non ponebat enim rumores ante salutem.

 non

non modo nullis suorum regnorũ opibus, nullisque rebus, quas vsq; charas habebat, pepercit, sed nec corpori quidem, nec saluti suæ parcendum putauit, laboranti patriæ modo vt opẽ maturam posset & efficacem afferre

Contraxit igitur Carolus, duxitq; in Pannoniam, talem virtute, ac tantum numero exercitum, qualẽ qantumq;, nec vllus vllo tempore in Germania imperator vidit, audiuit, non dicam. Et quanq; multitudine Solemanus fuit longè superior, ut palàm compertũ est: nec tamẽ, quod Othomanis nunq; antea vsu venit, non solum signa conferre, tyrannus tãto instructus exercitu, nõ ausus fuit: sed ne aspectum quidem Augusti Cæsaris sustinere præsentis. Nec mirum, cum Caroli nomen absentis audire non possit absq; tremore, sicut Hieronymi Lasci clades edocuit, quî præsentẽ sine trepidatione intueretur? In fugã ergo turpem tyrannus cum esset coniectus, omnibus à tergo pontibus reuulsis, vt insequenti moram iniiceret, dicitur subinde trepidans respectauisse, num à tergo instaret Carolus.

Sunt

Sunt etiam, qui, quod id factum non sit, tam præsertim opportuna occasione, reprehendendum arbitrentur: cum tametsi Solemanus forsitan persequẽdus nõ fuisset, propter ingrauescentem adulti autumni intemperiem: tamen in Vngariam is tantus exercitus, uel ad oppugnationem regiæ vrbis Budæ, vel ad reprimendum æmulum regem Ioannem Voiuodam, ducẽdus videbatur: quorum alterum necessarium, alterum ex dignitate Rom. Imperatoris fuisse, homiẽs plerique iudicabant. verum quia in diuersam partẽ quas Cæsar rationes habuerit, vulgò non palàm cernebatur, difficile fuit in alterutram sententiam certi quippiam pronunciare. Illud certè nihil habuit dubitationis, nisi Cæsar diuinò instinctu exuscitatus, tantus heros, tantaque virtutis opinione tremendus, armis òbuiã prodisset Solemano, quin hic tyrannus, igni ferroque, vniuersam Germaniam in cineres potuisset conuertere, ac deleta omni nobilitatis prosapia, cunctos gentis nostrę populos, in perpetuam ac fœdam, miserabilemque seruitutem adigere. Qua verò id bellum Cæsar prudentia susceperit,

perit,quàm excelso animo generosoq́ gesserit,quàm felici finiuerit rerum euentu,roget nemo, nisi, qui prorsus,cur Solemanus secundò nõ reduxerit signa sua in Austriã, confessus sit, se non intelligere.

Tantam à tota Europa pestem cũ diuinitus auertisset Cæsar,existimauit id maximè esse officij dignitatisq́ suæ,Ecclesiam etiam aliquando à nefarijs illis impiorũ, quæ Lutherus inuexerat,dogmatum cõtagijs liberare:in Italiam itaq́ profectus est,egitq́ seriò cum Romano Pont.concilium ut primo quoq́ tempore indiceret œcomenicũ. Sed de hoc sancto illius pioq́ conatu,postea erit locus: nunc de inuicto Cæsaris animo, quo Christianam remp.tutatus est, pauca quædam adijciam.

Pulsis ex Pannonia Turcis, Cæsar,inaudito classicę expeditionis apparatu,in Africam traiecit ad eum locũ,vbi quondã celebris illa Carthago Romanis nobilitata armis,sita fuit, et nunc vrbs Tunetũ est,vnde iam totũ illud Pœnorum regnũ Tunetanũ appellatur. Annis aliquot ante,id regnum inuaserat fraude quadam,incredibiliq́ astu

Hariadenus

Hariadenus Barbarossa, et exacto Muliasse legitimo rege, aliquandiu tenuerat nomine Turcici Imperatoris. Et cum ille aliàs semper, tum multo magis etiam id temporis nixus et opibus Tunetani regni, & opportunitate loci, mare Mediterraneum piraticis classibus adeò reddiderat cunctis Christianis infestũ, vt pleræq; gentes nauigationẽ intermittere fuerint coactæ, nõ absq; dubio quarundam prouinciarum exitio, quas inopia mercimoniorũ sensim concidere oportuisset. Neq; incerto hominum rumore constabat Hariadenum extremam perniciem Siciliæ, scilicet copiosissimo totius Italiæ horreo, illaturũ fuisse, nisi Cæsar celerrimo consilio vsus, ad Hariadenum Barbarossam in ipso pœnorum Tunetano regno opprimendum, vires conuertisset.

Quamobrem Cæsar, nulla interiecta mora, rẽ sibi eam nomine vniuersi orbis Christiani prouidendã esse, sceleratosq; Hariadeni conatus anteuerdẽdos iudicabat. Mari itaq; terraq; Tyrannũ inuasit Cæsar, conflixit, uicit, classe exuit, regno spoliauit exulem regem Muliassem restituit patriæ atq;

G dignitati

dignitati auitæ, sed ea lege, beneficiario iure vt regnũ illud possideat, acceptiq; beneficij memor in perpetuum, tanq; vectigalis regni tributa reddat regibus Hispaniarum. Verum hoc in bello quæ virtus Cæsaris nõ emicuit? quę non inuicti roboris cõstantia? quę in eo animaduersa nõ est militaris disciplinæ peritia? Non tantũ prudentissimi Imperatoris munera obiuit, sed impleuit etiam pugnacissimi militis officium. Nam Barbarossa cum ex vrbe Tuneto, Turcas equites & Numidas acie instructos produxisset, emisissetq; in confertas turmas Hispanorũ: cumq; hi Turcarum vim, impressionemq; minus sustinerent viriliter, ad vlteriorẽ cataphracti equitatus sinũ confugiebant, non absq; trepidatione et periculo exercitus reliqui. Sed Carolus insitæ suæ memor constantiæ, pristinæque virtutis, ex confirmato vsu militaris disciplinę, primum verbis castigauit fugientes, deinde vniuersum exercitum sic cohortatus est. Meminisse vos decet Milites, inquit, hoc bellum à me nõ priuati emolumenti causa susceptum esse, sed pro liberis, pro coniugibus, pro libertate

Christianorum,

Christianorum, quorum viginti milia scitis Tunetano in carcere fœdissime perire, pro vera religione Redemptoris Christi, cõtra impiam superstitionẽ pseudoprophetæ Ma‑hometis, pro salute deniq; animarũ nostra‑rum, et pro vero cultu sempiterni Numinis. Hãc ob causam cũ huc appulimus maximis sumptibus meis, et nõnullo periculo virtu‑teq; et mea, et vestra, ecquid nõ turpissimũ erit nobis, alijs exitiosum, nos frontẽ hosti negare, terga obuertere? Mesequimini nõ ducem modo, sed militem quoq; & socium cõmunis fortunę. Hæc simul ut edixerat, pri mus in ordine Cæsar, ingenti fortiq; impetu facto, multos sua manu prostrauit, quod idẽ illius exemplo fecerunt alij. Sed diu variaq; præliantium fortuna cum pugnatum esset, hostẽ deniq; fugauit, oppressit, maximaq; ex parte deleuit: nec mora, quin nõ ita mul‑tum post & vrbem Tunetum, & Goletam munitissimam arcem, vi ad deditionem co‑ëgit, ac toto est confestim Tunetano regno potitus.

Has aũt tot tantasq; impensas, quas fecit Cæsar, hos ipsos labores, quos immẽsos po‑

fuit, hæc deniq; tã ardua pericula, quę adijt, si quis ponderet ingenuus, quid? priuatę ne poterunt hæc, an publicę vtilitatis causa suscepta videri? ambitionis ne tyrannicæ, vt hostes dictitabant, an verò ut pij cordatiq; viri omnes, Christianæ libertatis signa existimanda sunt?

Maleuoli iudicij, animiq; sinistra suspitione laborantis argumentũ euidentissimũ edidit Gallus cõtinuo, ex Africa in Italiam cum triumphans reuertisset Cæsar: meminimus enim quæ huius habita sit Romæ eadem oratio in celeberrimo illo orbis theatro, cũ Cæsar stans in corona aduocatę concionis, præsente Paulo Tertio, cunctoq; senatu Cardinalium, & multis diuersorum principũ regumq; legatis, de iniurijs Francisci Regis non minus generosa, q; facunda atq; graui oratione perorauit. Veteres odiorũ causas esse inter domũ Austrianam & Gallos, neq; Franciscum modo, sed nec superiorum etiam temporum Galliæ reges vllorum fœderũ legibus vnquàm stetisse. Sibi vero Burgundiam ereptam esse, & repudiata atq; iniquissimè intercepta connubia.

bia. Franciscũ bello abs se victũ captumq; fuisse, & cũ perhumaniter dimissus sit, nihil eorũ, quæ pro obtinenda libertate pepegerit, præstitisse: sed vt custodia egressus, abrupta fide iurisiurandi, totũ propè terrarum orbem aduersum se tam ingratè, quàm impiè concitasset, cum ad Turcas vsq; miserit legatos, vt hostilia pari odio aduersum se molirentur, scilicet, vt, inania et exoleta iura ostentans, Cisalpinæ Galliæ dominatum inuaderet: quem augustali atq; legitimo iure partum, tanq; tuendis reliquis regnis suis maximè opportunum, sibi omnino retinendum statueret: ne sibi maritimum adeundæ Hispaniæ, aut terrestre adeundis Germaniæ & Belgarum regnis tutum & liberum iter præcidatur: quãdoquidem nequaquàm sit dignitatis in Cæsare, per alienas terras transitus facultatem precarió petere.

Propterea Franciscũ nefario ausu Caroli Sabaudij anunculi sui Allobrogum regiones in Transalbinis, & Ligurum in Subalpinis immaniter occupasse, vt inde ad inuadendũ Mediolanense imperium ire pergeret, Gallorũ consuetudine, qui nouarũ

prouinciarum auidi, quin aliena & proxi-
ma quæq; occupent, neq; pudore, neq; iure
contineri queant. Quarum rerum in vesti-
gio eos sæpe pœnitere oporteat, quũ vi et
armis, æquo semper Marte iudice, eorũ in-
solentia retundi reprimiq; soleat.

Id vero agrestis impudentiæ sibi videri,
qđ Franciscus Mediolanensis imperij pos-
sessionẽ, ideo sibi concedi expeteret, vt sin-
guli minores eius liberi, sublata oĩ honoris
atq; potentiæ obtrectatione, pariter exor-
nentur atq; ditenť, ne scilicet Henricus iusto
dolore angi possit, quum in fratre minore
Carolo, Aurelianensem principatũ, in Fran-
cisco autem maiore, non Galliæ modo, sed
Britanniæ etiam citerioris coronam, ex pa-
terna hæreditate conspiciat. Non sanè hoc
esse vel dignitatis vel fortunæ suæ, vt alie-
nos potius, quàm suos liberos exornet, &
stultissima ratione intempestiuæ liberalita-
tis laudem quærat, qua inimicæ stirpis du-
biæq; fidei hominum opes augeantur, qui-
bus aucti rursus aduersum se instructiores,
vti semper fecerint, inquieta arma resumãt.
Itaq; neq; hæc insolenter postulanti tribu-
turum,

turum, neque passurum, vt Subaudius Carolus tanta cum iniuria spoliatus dimidia parte regni, diutius ab se, vti antiquitus in Romani imperij clientelam receptus, iustam atque certissimam opem imploret. Proinde se rectà ad Alpes, & in Galliam vsque progredi statuisse, ut propinqui sui, socijque principis, & Romani imperij clientis iniurias defendat. Hæc adeò graui concitataque facundia, oreque flagranti protulit, vt subiungeret, se inuitum in id bellum trahi: in quo multæ gentes nihil mali meritę et insontes, ipsorum principum iracundia atque obstinatione, cladem essent subituræ: propterea pietate Christiana tacto sibi satius videri, & Reip. quidem vtilius, vt ipse & Franciscus ad singulare certamen descenderent, enseque & pugione dimicantes, controuersiam finirent.

Nota fortissimi Herois.

Eam ego Cæsaris orationem non solum quia generosæ solertisque facũdiæ plena est, quod forsitan in imperatore nemo admodum desideret, recitaui: sed etiam, quia video sapientes viros quosdã & sacratos, vt cætera bella Cæsaris iusta fuisse dederint, at cum

at cum Gallo quæ gesta sunt, quo iure censenda, ambigere: proinde, cũ Cæsar ea oratione omnes eius tam sinistræ de se opinionis fibras exciderit, partim, quia probabiliter iniusta semina Gallici in Austrianos odij euoluit: partim, quia de iure suo nõ dubitauit experiri velle Dei sententiã, euentu duelli, aliâs varij atque ancipitis: eò sane trahor, vt existimem Cæsarem semper bona conscientia rectè factorum nixum, cum rege Francisco concertauisse: nec ob eam causam nos metuere, an hæc vota nostra illi prosint, vllo modo oportere. Qua in sententia tanto cõfirmor efficacius, quãto Cæsarem intelleximus semper alacrius ad defensionem Christianæ religionis pericula contempsisse, quàm alibi nusquam priuatæ dignitatis suæ causa.

Secundo in Africam Cæsar traiecit: quo consilio id factum putamus? Algerium oppugnare, vires Barbarossę retundere, mare turbatum placare, tutamque Christianis nauigandi facere securitatẽ volebat. Sed quanta eo in conatu suo adijt pericula? quas procellas terra marique sustinuit Cæsar? quàm

cladem

cladem accepit? Quanquam vero inuitis pene elemētis eam aggressus Algerij oppugnationem videri possit Carolus, quod minus secūda fortuna, quam solebat, vsus est: non tamen æquè nos exitum decet, ac voluntatem optimi Imperatoris perpendere: qui in ista adeò infausta cōtentione, nequaquam sicut milites fidem Imperatoris, ita fiduciā ipse præpotentis Dei Imperator deseruit. Etenim inusitata nimisque sæua tempestate, cū Cæsariana classis disiecta partim, & partim submersa miserabiliter affligeret: cūque ipse exercitus ad expugnationē, Algerianis mœnibus dispositus, diro ventorū turbine, perpetuisque irati cœli imbribus, impeditus, nusquam progredi auderet, sed quasi panico timore perculsus in fugam se ad classem diuertisset, ac si perfugium tutum futurum esset in perditis dissipatarū nauium ruderibus: tū Cesar ore minimè pauido, districtoque gladio ad Germāos cōuersus, In Deo, inquit, & dextra vobis spes reposita salutis est, nō in sinistra quassatæ classis fortuna: ad dexteram enim Algeriū fuit, ad sinistrā mare. Qua Cæsaris tā animosa cohortatione mi-

H lites

lites subſtiterũt, donec per ocium rebus ad nauigationem ritè compoſitis, cum honore exercitus reduci in patriam ſaluus poſſet. Aduerſus infidelem barbariem id bellum ſuſceperat Cæſar, quid? priuatæ ne potentię ratione ductus, an emolumento Chriſtianæ reipub? In ea nauali expeditione, Cęſar virum profectò ſe præbuit, & planè virum: quid virum dico? imo talem heroa atque Imperatorem, qualem priſca ætas parem vidit neminem. Difficile non eſt in rebus ſecundis, ingenio eſſe elato, minutioresque irridentis fortunæ petulantias contemnere: at certe ſicut Poëta ait,

Fortiter ille facit, qui miſer eſſe poteſt.

Idcirco eũ verè eſſe fortunatũ putauit Bias, qui ferre poſſet infortunium. Non ſolũ tulit Cęſar, ſed magnanimus tulit, vicitque omnes iratæ fortunæ inſultus. Quas ille ea in tempeſtate miſerias? quas difficultates et anguſtias nõ pertulit? quã varios non expertus eſt communis fortunæ caſus? quã diuerſas intereuntium voces, atque imagines non ſenſit præſens in eodẽ conſtitutus periculo? Longa eſt hiſtoria, quis cuncta recenſeat?

Illud

Illud autem certè silentio præterire non possum, eximiæ cum sit pietatis monumentum. Classem Cæsar ex Africa reducturus in Hispanias, à Tipasa vrbe soluit: sed maxima nauium parte naufragio absumpta, cum paucæ onerarię naues tantam militum multitudinem vehere nõ possent, quòd Hispanici equi multum loci occupassent, ferũt fuisse, qui viliora militum seruitia potius, quàm generosos equos, in mare præcipitanda esse, vt naues hoc iactu alleuarentur, censuissent. Cæsar autem hoc ab omni pietate alienum ratus, etiam vilissimi lixæ aut calonis saluti, pretiosissimi equi vitam præferri: equos ergo ad vnum omnes in pelagus dari mandauit, significans, quod pietati debeat, id se vtilitati nullius velle debere. Denique in Hispanias, tot tantisq; acceptis detrimentis, sic appulit Cæsar, vt, cum durissimis, terra mariq;, iniquæ sortis, casibus, inuicto semper animo, diu cõflictatus esset, non solum admiratione suorum, sed iudicio hostium multo magis, ipse sese visus sit augustior, qui nec vlli ducum, militumue communicata laude, de deuicta

fortunà, triumphum reportasse iudicaretur.

Sed eam Cæsaris cladem, quã pro Christianorum commodis acceperat, noui belli studio excepit Franciscus rex Galliarum, tali deceptus persuasione, quasi ad Algerium ita fractæ sint, atq; contusæ vires Caroli, ut nequeant in posterũ recuperari. Cæsar vero, tametsi iniquã pacis conditionem maluisset, vt aliquantũ quietis datum esset respirationi: ipse tamen diuinę vltionis memor, cum iuris humani obliti essent Galli; infracti pectoris vigore ita tumentes istorũ hominũ spiritus repressit: vt Franciscus deinceps nunq̃ arma resumenda esse duxerit in animum.

Vix illud Cæsar in Gallijs restinxerat incendium, continuò aliud ortum est, & vehemens & tumultuosum in Germania. Sed vulnera isthęc nostra refricare nõ libet, Cęsaris animum exquirimus nunc: qui, vt nunquã antea, profectò tunc ipse sese apparuit diuinior: quando imperatores alij soleant bellorum euentus ex vatum augurijs pensitare, hic ex bonitate et iustitia causę: vnde non exitum tantũ contentionis, sed modum

quoq;

quocꝙ illius belli gerendi diuinitus metiri visus est. Nam Sigismundi regis Polonici legatus, cũ de pace ageret apud Cæsarẽ & principes, et inter cætera Sigismundus Cæsarem obnixè hortaretur, ne tanta Christiani sanguinis effusione Germaniã, patriàm suam, pateretur inquinari. Cæsar ad eã orationis partem leniter quidem, at commotus tamen, respondit, se diuina gratia longè ante, ꝙ in id certamẽ pertractus sit, eam prouidisse viam, vt non dubiè speret breui controuersiam diremptũ iri, absꝙ cruenta victoria. Num certius aliquid potuisset prædici, ꝙ hoc prædictum à Cæsare est? Non multo post ad pugnam Cæsar prouocatus, id dedit verbo respõsum, quod sequenti anno, re perfecit. Illud hercule prouidere, sagacis prudentiæ fuit: hoc perficere, insolitæ fortitudinis. Ecquid nõ vtruncꝙ euenit? Fuit Cæsar admiranda ingenij perspicacia præditus: potuit enim ex obscuris sæpe paruisꝙ indicijs grauissima maximarum rerũ consilia euoluere.

Accidit in eodem bello, citra intermissionem cũ magna illa, quę muralia dicunt, tor-

menta in castra Cęsaris disploderent, videretq; Cæsar nõnullos eo perpetuo tormentorum boatu exterritos, dubitare de euẽtu rei: tũ ille, Metum deponite, inquit, crebri enim isti bombi, morbidi sunt, breuiterq; interituri vẽtris indicia. Ex arcaniore quadam militaris disciplinæ scientia, animaduertit Cæsar duo vitia, in eo facto hostis: vnum, quod fuit ignaui timoris, ex quo collegit, hosti non satis animi affuturum in eo bello: alterum erat temerariæ profusionis, quæ maxima fiebat tot vanis in sua Castra tormentorũ ictibus: vnde perspexit breui aduersarijs neruos belli defuturos.

Multa possem, propemodumq; infinita eiusdem generis exempla cõmemorare, si tempus orationẽ admitteret prolixiorem. Nõ enim bellicæ laudes Caroli Cæsaris celebrantur solum nostris, quæ minus facundæ sunt, sed omnium pene gentium literis atq; linguis, quę nunquam res tantas, vllius ætatis iniuria, obliterari patientur. Conferantur sanè omnes Rom. imperatores, oẽs exterarum gentium, populorumq;, oẽs clarissimorum regum res gestæ, cum Cæsaris:

reperiemus

reperiemus profectò, nec magnitudine cō-
tentionum, nec prliorum vehementia, nec
regionū varietate, nec, quod uel maximum
est, prudentia conficiendi belli, nec con-
fecti moderatione atq; clemētia, vllo pacto
cōparari posse: cum licet fortasse depugna-
rint illi quidem contentiosius, at certe nec
potiti victoria sunt iustius, nec vsi sanctius.

De bellicarum virtutū laudibus, quibus
Cæsar meritò celebrandus est, hic ego for-
sitan nimis longe, cum alibi nullum vllius
tantum orationis flumen, nulla dicendi aut
scribendi tanta vis, tantaq; copia queat re-
periri, quæ exornare (quid dico exornare?)
q̄ enarrare res gestas Caroli Cæsaris possit.
Eò igit̃ se oratio cōuertat nostra, quò nō mi-
nor laus iustitię in Cæsare refulsit, q̄ quò illa
ipsa eius inuicti animi fortitudo eluxit sem-
per: sed breuius aliquanto de ea, licet multo
fusius, quàm hæc, patere existimetur.

Carolus Cæsar non solum studio præcla-
ro, omni generi virtutum seriam operā na-
uauit, sed penè omnis honestatis, iustitiæq;
semina ex parentum, auorumq; propagine,
& quasi cum ipso Matris lacte suxisse vide-
tur,

tur. Audierat puer, legerat adolescens, vir cognouerat, iustitiæ basin esse, aliena non concupiscere, ut Aristides definit, nec id alteri faciendum, quod tibi nolis fieri, vt lex naturæ constituit. In hoc igitur iustitiæ fundamento, omnẽ gubernãdi imperij sui Carolus administrationẽ exædificandam statuit: idq; eo modo quidẽ, ne, quamuis se legibus exemptum nosset, eis tamen, quibus ipse in alios efficacibus viuisq; vteretur, in se voluerit vti mortuis tabulis. Etenim non hunc ille verè iustum dici posse, qui tam cõstrictus sit, vt iniustè agere non queat, sed eum omnino, cui cum liceat iniusta facere, abstineat tamen, iustum arbitrabatur.

Eius suę in istam normam assuefactę voluntatis principiũ, ordiri domi malebat inter suos, q̃ foris inter alienos. Sorores ergo, quas habuit quatuor, tam æquali iustaq; paternæ hæreditatis dote locupletans, elocauit, vt non iustitiæ solũ limites non coarctatos ab illo, verũ liberalissimę pietatis etiam vt terminos vltra communem sortem prolatos, possis dicere. Oẽs quatuor, vti regiam sobolẽ & Cæsaream, singulis regibus iun-

xit matrimonio, Elisabetã Christerno Daniæ, Mariam Ludouico Vngarorum, Leonorã Francisco Gallorũ, Catharinam Ioanni Lusitanorum regi. Quanquam ista cõnubia dubijs sint varijsque iactata casibus, iustis tamen herculè de causis contracta atque celebrata fuisse, culpare potest nemo: vt vel vllum iustum in Carolo fraterni amoris desideret officiũ, vel in regia sobole honestam educationem.

Cum fratre autem Ferdinando augustissimo Imperatore nostro, paternorũ regnorum, quàm ille æquabilem, quàm iustam, quam ad dignitatẽ Austrianæ domus in diuidendo rationem necessariam constituit, iniuit, erexit? Non fuit in his, vt Ennius Rom. de Romulo et Remo fratribus, conqueritur, quod

Omnis cura uiris, uter esset induperator:

nec illud, quod de ipso Rom. Imperij primordio lugent poëtæ, quasi violenti regni infaustum initium:

Nam primi fratrum maduerunt sanguine muri.

Alexander Arrium ducem suum odit propter industriam, Clitum propter bellicæ virtutis opinionem confodit. Quid vero

I Octauius,

Octauius, Pater ille Patriæ? Lepidum, quia minus blandiebatur, submouit, Antonium, quia strenuus erat vir, oppressit. Quid autē Carolus? nō solum manus ab omni tali scelere puras, sed mentem quoque mundam habuit semper. Solitus enim erat dicere, neminem alterius, qui suæ cōsideret, virtuti inuidere. Hoc idē Carolus, hoc idē cum sentiret Ferdinādus frater, tanto pacatiori hæc, tantoque tenaciori saluæ concordiæ vinculo tractata sunt & constituta inter hosce potentissimos duos Europæ Monarchas: quanto illustrius mutui erga se suosque amoris signū in Austriana domo ad sempiternā rei memoriam erexerunt.

Tum vero Cæsar qua iustitia turbatas Italiæ res non composuit? Quoties ille Pfortias cum Gallo, & Gallum cum Sabaudis in pacem redire conatus est? Genuenses ciues seruitute per iniuriā oppressos iuri veteri restituit & suo. Rebelles Mediceæ domui Florentinos parere coëgit, nihilque tamen eos indignum, præter iusta onera, ferre volebat. Andagauēses autē fœdæ defectionis crimine reos, grauiter Carolus quidē, at

at iusta lege tamen castigasse dicitur: non quod vsitatæ suæ, veterisque Clemētiæ oblitus, summū ius maluerit in patriam, quàm moderatæ æquitatis legem exercere: sed quia intellexit sapientissimus Imperator, alibi suum gratiæ locum dari oportere, alibi iustitiæ non peruertendum tribunal: proindè hac lege hìc agendum censuit, alibi aliâ. Optimo iure VVirtēbergensem ditionē fratri potuisset, non exuli reddere: et sibi suisque Palatinatum, Hessiam, Turingiàm reseruare, nō gratuito restituere supplicibus. Quin etiam aliis donare Electoratū, aliis Saxoniam distribuere, aliis partiri Misniam fuisset Carolo victori integrū: sed ille malebat his, quos sibi aliquando gratos, imperio fideles futuros esse rebatur, quàm sibi adiungere aut suis. Galliam vero non Francisco licuisset, sed hæredi Philippo filio suo assignare. Ita Cæsar iustitiæ munera cū æquitatis clementia cōmiscere didicerat, vt euidentius ille, quæ naturæ sint aut gratiæ propria, quæ vtriusque cōmunia, quæ diuersa, potuerit ipsa re discernere, quàm subtili disputatione Philosophi.

Si explicare nunc, non percurrere facta Cæſaris nobis propoſitũ eſſet, quam putamus fore non prouinciam dico in Europa, non in Italia vrbem, non oppidum in Germania, nõ in Hiſpanijs aliquod municipiũ: ſed quod ſolum, in tot illius florentiſſimis regnis, in quo ille non impreſſerit ſempiterna quædam veſtigia iuſtitiæ ac benignitatis ſuæ? Verè ſic ille temperandas Chriſtianæ Reip. habenas iudicabat, vt, ſicut Pallas in Eumenidibus ait, τὸ μήτ᾽ ἄναρχον μήτε δεσποτούμενον. Quanq̃ homines nũc ſunt pleriq; malitia quidẽ occulti, maleuolentia autem ſatis retecti, qui illis tam præclaris Caroli luminibus nubẽ inuidiæ obducere conentur: at certè nulla vnq̃ ætas de tantis laudibus conticeſcet, nec eũ adeo tot corruſcantiũ virtutum ſplendorem patietur obſcurari. Habet enim hoc ipſa virtus, quod homines inuidi ne de facie quidem norunt, vt fortes viros iuſtosq; ſpecies eius & pulchritudo, etiã in hoſte poſita, delectet. Nobis ergo, cunctisq; alijs cordatis viris ſat argumenti debet eſſe de Caroli Cæſaris iuſtitia, de æquitate, de beneficentia, de liberalitate, q̃ vulgò, et ab

ipſis

ipsis hostibus cognomentum accepit, vt Probus vocitetur, der frum̃e Kaiser.

De pietate autem illius, de studio Catholicæ religionis, de assiduo cultu diuino, vnde sumam principiũ, vbi finẽ constituam? His rebus puer inuigilare cæpit, hisce eisdẽ senex immortuus est, his domi militiæq; vacauit certis diei horis semper. At quoniam facilis lapsus est in re ardua, aliorum principum Cæsar periculo cautus, ne à recta diuinæ legis linea vel ad dexterã resiliret ardor deuotionis suæ, vel ad sinistram imprudens imitatio: verum scripturæ S. intellectum, non ex priuato sensu vllius hominis, sed ex Catholico totius Christiani orbis cõsensu, tanq̃ è viuo fonte, nullius hæreseos veneno, corrupto hauriendũ existimauit. Quo in studio suo, duorum theologorum, quos excellentissimos habebat, Petri et Dominici Sotorum opera potissimũ vsus, veram Christianæ religionis analogiam tam in contextu Sripturæ S. quàm in Catholico eiusdem et orthodoxo intellectu, perspexit atq; recepit. Vidit enim fidem eam, qua hominem iustum oportet fieri, Catholicã esse

 debere,

debere, vt semper et vbiq; sui similis sit, diuersa nusq;. Spem vero fiduciamq; illã, qua pro sese quisq; niti possit, non eiusdẽ esse, sed diuersi generis, cum tantũ præmij quiuis speret meritò, quantũ cuiq; Deus secundũ opera sua redditurus sit ex gratia. Eamq; ob causam intellexit Cæsar, nisi interuentu dilectionis viua fiat fides, & spes ardore charitatis incitata expectet reuelationem gloriæ magni Dei nostri, mortuam esse fidem, spem inanẽ: cũ, etiamsi vtraq; maior sit dilectio, ratione finis: has ipsas tamẽ virtutes Gratia ea, quã Christus gratis ex plenitudine sua vnicuiq; propriã largitur, tali dignitate imbuat, taliq; informet gratissimi cõcentus suauitate, vt fides et spes per charitatem efficaces queant operari meritoriè.

Hac ista Christianorum orthodoxa fide cũ rectè esset, solideq; institutus Cæsar, triplicẽ animaduertit tota vita sibi laborem in Christianæ religionis cultu, ꝑpetuò sumendũ: primo, ut doctrinã catholicæ fidei, et oris confessione, et gladio magistratus sui uiriliter, sicut fidelem Ecclesiæ aduocatũ decet, defendat, atq; incorruptã cõtra hæreses tuetẽ:

tet: deinde, ut deuoto corde semp Deũ prę cibus colat, pauperes iuuet eleemosynis, se ipsummet castiget ieiunĳs, tẽperantia, castitate, pudicitia: postremo, ne spem felicitatis suæ in potentia tot regnorũ, in rerum feliciter gestarũ gloria, sed in futura cœlestis regni possessione collocare semper meditet.

Non fucatè Cæsarem, ut hi, quorũ oratio consentit, pugnat ratio, nec languidè, ut illi, quorum oratio pugnat, consentit ratio, sed corde ad iustitiã, ore ad salutem, catholicæ fidei doctrinam confiteri solitũ, ubiꝗ animaduersum est. Ac ut pro multis unum adducã exemplũ: quæ uero illius ista ad protestantium principes in frequenti Imperĳ Senatu oratio? quæ fulmina? quæ dolentis animi feruor? Dixerant quidam confessionẽ, quã exhibuerant, ita certis niti manifestisꝗ scripturarum testimonĳs, ut putent refelli posse à nemine: proinde nec ipsos ab ea debere, aut uelle, salua fide cõscientiæ, recedere. Ad hoc Cæsar, nequaꝗ se illud, quod iactent de firmitate cõfessionis suæ, ipsis assentiri: falsò .n. asseri, euinci nunꝗ posse. Nec minus se de propria salute, atꝗ ipsos de sua

solli-

sollicitũ esse. Quam sit amplexus, esse religionem ab ipsis traditã Apostolis, ab horum discipulis propagatam, traditamq; per manus maiorũ ad nos peruenisse: multo ergo minus sese religionẽ eam, quæ fundata ab Apostolis, exædificata ab horum successoribus sit, q̃ illi suã nuper natam sectam posse aut uelle deserere. In decreto igitur, qđ comitiali iudicio factũ, se nihil mutaturũ esse. Id autẽ si protestantiũ principes nolint ratum habere, sibi fore necessarium, ut alio decreti genere agat deinceps, quo tandem pullulantes sectæ extirpari & sua Germaniæ pax, et uetus religio Ecclesiæ incolumis tandem restaurari possit: cum certo compertum habeat, protestantium concionatores nõ obscurè cõcitasse rusticorum in Germania tumultũ: in quo propè centũ millia hominum calamitosè perisse constet. Huc accedere, quod vi sacerdotes exterminent, bona eorũ occupent, violentq; humana iura, ac diuina pariter. Se itaq;, nisi ab impijs istis desistant institutis, iure vti suo oportere, ne, qđ principes ipsi cõmuni calculorum suffragio sibi tuendũ tradiderint,

ius

ius turpiter absq; fœda nominis sui macula abiecisse videatur. Hæc & quæ subtexta sequuntur, Cæsar Augustæ per Georgium Marchionem Brandeburgensem respondit protestantibus.

Neq; tecta illa fuit Cæsaris, neq; vana confessio oris ad salutē (si de salute tamen sua admoneri subditi voluissent ab Imperatore:) neq; eiusdē suæ fidei cōfessione tanq; inani, ostendit se vsurum ad iustitiam, siquidem salutis admonitionem non admiserint, iustitiæ vt ferant executionem. Bellum igitur in Germania est atrox exortū, dum subditi pro noua hæresi, pro veteri & Catholica fide dum Cæsar arma induit. Sed dum vota vtrobiq; ad Deum vtriq; facerent, iustiori parti vt victoriam, iniquiori vt interitum certum afferre palàm dignaretur: ibi Deus quidē vtrosq; audiuit, sed exaudiuit Cæsarem, hunc incredibili triumpho exornans, illos humilians ad panem doloris, vt luerent pœnas.

Ea Cæsar victoria potitus, nihil prius duxit, nihil sanctius, nec impensius egit quicquam, nec ante oīo acquieuit, quàm à Pau-

lo Tertio indictum œcomenicũ Concilium videret Tridenti. Nam in varijs illis, quæ habuit, Comitijs, cũ Catholici proceres non solum de pestiferis sectis, quas protestantes disseminabant: sed etiam lamentabundi conquererentur, contra ius & æquum spoliari se, pelliq; à possessionibus, indicta causa: & cum Vuormatiæ ex S.C. decretũ sit, debere spoliatos restitui in integrũ, nihilq; tamen hactenus effectum esset: tum ad hæc. ꝓtestantes ista semp vti solere exceptione; (vnde etiã, vt protestantes dicerentur, sunt adepti nomen) quoniam res illa ex vniuersi orbis iudicio pendeat, in comitiali disceptatione finiri non queat; se ad liberum prouocare concilium, in quo tam de doctrina sua, q̃ de spoliatis sacerdotijs cleri, iustas rationes velint reddere. Etsi autẽ Cæsar clarè cernebat, protestantes nõ ideo expetere cõcilium, in eo vt cõtrouersiæ finirentur, cum non obscurè, si aliquando habendum esset; id detrectaturi videbantur: sed vt prætextu concilij, quod facile abs se impeditum iri sperabant, litium dijudicatio extraheretur, donec plus virium sibi accederet, decederet

aduersarijs:

aduerſarijs: Cæſar tamen ne vel ficte pro-uocantibus renuiſſe cenſeretur, non ſolum effecit, vt non minus ſecurè proteſtantes poſſent, q̃ Catholici, iter facere Tridentum: verum ipſemet quoq; in alpes ſeſe recepit, conſeditq; Oeniponti, vt in vicinia eſſet, vtq;, ſi opus foret, præſens adeſſe poſſit, ac ſi forte pars vna ſe grauari arbitraretur, ſuæ eam leuaret æquitatis præſentia.

At verò hi iſti tàm pij, quàm neceſſarij conatus Cæſaris, quem euentũ habuerunt? Eum profectò, quem Cæſar ipſe multo manifeſtius ante fore præuidit, q̃ auertit ſatis maturè, ſed alieno potius, q̃ ſuo iudicio ductus. Conſpirant enim duces contra Imperatorem, coniurant alumni in perniciem patris: qui illos ſuſceperat, educarat, inſtituerat: qui illos inſtruxerat copijs, opibus cumularat: qui illos honore, qui dignitate, qui omni ſplendoris ornamento inſigniuerat: hunc illi ſuo exercitu inuadunt, hunc ſuis proprijs oppugnant viribus, hunc ſenem ſede ſua pellunt iuuenes, quid? imò hunc ſuũ parentem filij ad necem inquirunt. Proteſtantes theologi cũ non ſperabant fieri poſ-

se concilium, proterue concilium postulabant: Cæsar vero cũ potuit fieri, indici curauit, & ad indictum vtramq; partẽ vocauit: quoniam enim protestantes ad concilium prouocarint semper, liberum nunc esse Tridenti concilium: quoniamq; in eo iudicio ꝓmiserint se velle causam dicere: in eo igit̃ nũc vt dicãt, audiantq; vicissim, id ipsorũ fides data postulet. Hinc illæ lachrymæ. Qui malam fouent causam, quia malę egerunt, fugiunt lucem, iudicem non ferunt. At ne tamen malam, quam habent, causam habere videantur, à præsente iudice, ad alium quempiam, quem tamen futurum non sperent, prouocant: & ad hunc, vbi ventũ est, eum vt suspectum reijciunt, vel, si possunt, vt hostem oppugnant armis.

In hæresi istud facinus mirandum nõ est, nihil enim facit alienum à se: in principe autem Christiano stupendum certè, nõ mirandum duntaxat: quem hoc sacrosanctũ Cæsaris studium iuuare, non tam nefaria sectariorum conspiratione impedire decuisset. Sed factum est: nos actum agere non volumus. Atqui esto: egerit Carolus nihil, se

Imperatore,

Imperatore, nisi quod œcomenicam Synodum Tridenti collegit: tamen haud equidem scio, an vlla alia re potuisset melius de tota Ecclesia mereri, munificentius aliquod vniuerso orbi terrarũ conferre beneficium, aut singulis Christianis rectius consulere, aut sanctius deuincire vniuersos, quàm q̃, se Augusto Imperatore, doctrina de iustificatione impij hominis, per eã occasionem, tam perspicuè, tam solidè, tam succinctè explicata sit: vt omnes mortales vel hoc nomine immortales gratias Deo agere, & Cæsari, quas possint, maximas referre semper, pro inæstimabili illo salutis humanæ thesauro, existimem iure oportere.

Præclarum vero hoc, magnumq; fuisse pietatis opus in Cæsare, quis inficietur, cũ ne hostes negent quidẽ? Sed extant adhuc maiora. Quota pars Europæ in fide remanserit videmus: quanta autem sit ea, quæ defecerit, omnes sane deploramus, meritò lugemus: quando id Ecclesiæ detrimentum nonnulla etiam culpa euenerit nostra. Pio autem studio, secundum Deum, Cæsaris, triplo plus Occidenti, & Meridiei accessit,

ſit, q̃ vel Turca in Ortu abſtraxit, vel in Se-
ptentrione Lutherus, ab orbe Chriſtiano,
dum in Abyſſinorũ regnis, dũ in America,
dum in Praſilia, aliiſq; nup inuentis per Lu-
ſitanas claſſes inſulis, quaſi nouo in orbe,
religionem fidemq; Chriſti curat inſtaura-
ri, homineſq; ad Chriſtum conuerti: vt re-
ctius de Carolo poſſit, q̃ de Alexandro
Magno dici, victi populi meliorẽ eſſe con-
ditionẽ, q̃ victoris: q hic labore defatige-
tur, illi ex barbaris, homines culti, & quod
maximum eſt, Chriſti cohæredes effician-
tur. Cum autem non plus ex hoc lætitiæ ca-
peret Cæſar, quàm ex illa defectione dolo-
ris, quatuor grauiſſima bella pro vera fide
Chriſti, contra perfidiam Antichriſti ſuſce-
pit atq; geſſit, primũ quando Solemanum
fugabat ex Pannonia, ſecundũ, expugna-
to regno Pœnorũ, tertium, cum Algerium
oppugnabat, quartum, vindicato rebellio-
nis crimine. Omitto hic alia partim terra,
partim mari geſta bella, quæ aut duce Au-
ria habuit Cæſar; aut per alios legatos ad-
miniſtrauit: ſed hæc quis enumeret? mul-
ta ſunt enim, tempus non patitur referre.
Omnia

Omnia certè ad defensionem Christiani nominis, ad propagationem Catholicæ fidei, omnia denique eum in finem, & facta esse & gesta à Cæsare, vt Deo debitum cultum præstaret, & necessarium Ecclesiæ officiũ, nemo dubitare potest.

Interea nunquam omisit, quod Austriana domus vel inprimis semper magnifecit, domesticæ pietatis ac priuatæ exercitiũ. Eam Cæsar ab ipsa pueritia consuetudinem habuit, non vt succisiuis, sed vt certis diei horis quotidianarum precum absolueret pensum, ordinem penè eum secutus, qui Dominicanis monachis vsitatus est. Ceremonias vero Eccl'iæ sanctè ille coluit semper, festiuos dies minimè neglexit, sacrificijs interesse quotidie quasi ex fixa lege obseruabat. Ex Chrysostomo enim didicerat, duas esse necessarias precum alas, quibus illæ possint in cœlum subuolare, ieiunium, atque eelemosynas. Quapropter tametsi ex determinata cibi potusque diæta viueret semper Carolus, vt nullo alio ieiuniorũ opus esset nouo præscripto: non intermisit tamen, quin vltra cõmunem moderatè viuendi rationem, etiam

in

in certis quibusdã Sanctorum vigilijs sub iugum redigeret & sub seruitutem corpus suum: quo & precibus posset, & secretioribus diuini cultus mysterijs animũ intendere efficacius. Nã in eũ finem ieiunia D. Petrus instituta docet, cum ait, Sobrij estote, et ieiunate, vt precari possitis. Nec id ignorasse vident philosophi quidã gentiles, cum homini nihil mali euenire posse affirmant, qui sapientiæ fundamentum iecerit temperantiã atq; castitatẽ. Sapientiã vero intellexerunt eam vitæ institutionem, quæ à terrenis absit longè, & proximè cum cœlestibus conuersetur: varietatemq;, quæ terrenæ voluptatis mater est, fugiat, delectetur simplicibus: idcirco enim aiunt Homerum cœlites vocare ῥάον ζώοντας Carolum Cæsarem igitur vel hac de causa in terris vitam egisse prope cœlestẽ, nobis licebit dicere: quandoquidem plus voluptatis se ex frugali victus temperantia percipere affirmabat: q̃ eos, qui nihil, quod genio libeat, nihil, quod placeat gulæ, soleant omittere, quiq; ingeniosius palato sapere, q̃ corde videantur.

Eleemosynas

Eleemosynas præterea sic ille erogari, sic distribui curauit egentibus, sibi quidem vt in cœlis æternũ thesaurũ colligeret, nobis vero vt relinqueret in terris necessariũ Christianæ liberalitatis exemplum. Meminimus hic Augustæ (non ita enim pridem accidit) Cæsarem vna die viginti quinq; millia ducatorũ dispartire inter pauperes. Quid autem alibi factum putamus? Quid in Belgio, vbi natus, & in patria? Quid in Hispanijs, vbi educatus? Quid in Italia, in Sicilia, regnisq; alijs, vbi rectius se posse vidit, cui det eleemosynã, ut Christus iubet, attendere, ne det scilicet hæresi, ne pseudoprophetis, ne degeneri sectariorum propagini? Nusq; ille non vel erogauit piè quippiam, vel erexit sanctè, quod memoriam sui commendaret gratæ posteritati, quod præberet alijs pro se deprecandi occasionẽ.

Cæsar itaq; his vitæ institutis, atq; eo tali cursu, in dolore & labore, magna fortunæ varietate, multa hominum perfidia, graui morborũ senijq; oppressione defatigatus, non (vt Iulius Cæsar) quia satis vel naturæ vixisset vel gloriæ: sed quia minus Deo,

L plus

plus peccato, quàm lex diuina velit: sta-
tuit mundani imperij sui curriculū abrum-
pere, & ad cœleste regnum flectere noui
itineris cursum. Quapropter cum duas fi-
lias Carolus, Mariam Maximiliano Bohe-
morum, Ioannam Emanueli Lusitanorum
regibus elocasset matrimonio, dedissetq́ fi-
lio Philippo Elisabetam Henrici Octaui re
gis Angliæ filiam vxorem: tum ille ex An-
glia filium, ex diuersis prouincijs proceres
euocauit Bruxellas, & in corona circum-
fusæ nobilitatis, dixit se iam Germaniam
velle deserere, in Hispanias proficisci: &
causas, cur illud decreuisset facere, cū gra-
uiter perorâsset, cœpit etiam strictim, at fa-
cundè tamē, & bella, quæ ab initio imperij
sui gessisset, & cursum administrati sui mu-
neris cōmemorare: videlicet vt filio nō so-
lū omnia tot florentissima regna: sed rectè
etiam pièq́ regnandi disciplinam se simul
tradere, exemplo gubernationis suæ, testi-
ficaretur. Regnis itaq́ filio Philippo ritè
traditis, proceribus filium, filio vicissim cō-
mendauit proceres, ꝓlixa oratione vtrosq́
cohortatus, proceres quidē, vt fideliter pa-
reant

reant filio, filiũ vero, vt iustè, vt prudenter, vt moderatè imperet, & quæ honesta sint, iubeat, quæ noxia, vetet fieri: inprimisq; vt luẽ illam Lutheranicæ contagionis arceat à regnis suis viriliter, & legitimam præstet Apostolicæ sedi obedientiã atq; honorem.

Non ita multum post & ipse rex Maximilianus cum Maria coiunge sua, filia Cæsaris, Bruxellas venerũt, vt patri valedicerent. Cæsar itaq; filiã, scilicet fœminã et moribus et pietate verè Cæsariã, deosculatus, et pijs paternisq; affectibus cõplexus, mox filium Philippum ad se et Maximilianũ accersiuit, et grauissimè ambos admonut. Cernere illos, quam imperij amplitudinẽ Dei beneficio adepta sit breui tempore Austriana domus: et cum inuidia plerumq; sit periculosa comes fortunæ, non deesse, partim occultos, partim manifestos etiam, tantæ maiestatis æmulos principes: qui, rebus Austrianæ domus integris, in metu facile possint contineri, eisdem distractis, non facile: sed vltrò occasionẽ illos quæsituros, vt, quod diu cogitarint, re ipsa sese declarent facturos esse. Quamobrẽ hortari ipsos,

vt ſeſe diligant fraternè, ope mutua iuuent, pariꝗ́ ſtudio ac animo incolumitatem Auſtrianæ familiæ complexentur, ornent, tueantur: nec ſe aut ullo prætextu priuati boni, aut vllo publici, ſinant in mutuum trahi diſſidium : ſed meminerint tandiu vigorem, Auſtrianæ ſtirpis florentem fore, quandiu ipſi agnati ſint concordes, quandiu eadem ſumant arma contra communē hoſtem, eandem colant cum comunibus amicis pacem. Nec quicꝗ́ certius eſſe, ꝗ̃, quod vulgò dici conſuetum, Cōcordia res paruas creſcere, diſcordia magnas dilabi.

Semina autem diſcordiarū aliunde nuſꝗ́ oriri pernicioſiora, ꝗ̃ vel ex nimia ambitione regnandi, aut peruerſo nouarum opinionum ſtudio. Regna Auſtrianæ domui abūde iam ſatis eſſe, & plura, ſi concordes ſint, affutura ſemper: nec ita laborandū quoꝗ́, ꝗ̃ multas quis enumeret prouincias, ac, quàm prudenter eas, feliciterꝗ́ gubernet: cum non æquè in magno bonum, atꝗ́ in bono magnum ſitū exiſtimari debere, ſapientes arbitrentur. Auſtrianæ domus faſtigiū in hanc creuiſſe ſublimitatem auſpicio, cul-

tuꝗ́

tuꝙ Catholicæ fidei, & obſeruantia Ecclesiæ Matris: vnde pariter &, imperij dignitatem acceperint maiores sui, & ita vixerint in hac mortali vita, vt ſpem ſempiternæ felicitatis non dubiam reliquerint de ſe poſteris: quorũ veſtigia dum Auſtriani principes imitati ſint, rectè cũ illis ſemper, cum vel paululũ deſeruerint, malè actum eſſe. Eamꝙ ob cauſam ſe illos monere ſanctè, hortari paternè, Catholicam fidem vt colant conſtanter, hæreſes omnes vt vitent ſtudioſè: atꝙ ne ipſi contaminentur, ſectariorum repellant commercia, ne imperitus populus, armis coërceant nouitatum authores: ita .n. ipſos in terris feliciter imperaturos eſſe, beatè ſemperꝙ victuros in cœlis.

His ſanè rebus, alijsꝙ ritè confectis, Cæſar Fratri Ferdinando Regi Romanorum, & ſceptrũ & diadema Rom. imperij primo quoꝙ tempore tradi per legatos ſuos curauit, & huic ſuo nomine optari de hoſtibus victoriam, in ſubditis felicem gubernationem, &, cum in terris ſe amplius conſpecturi non ſint, vt in beato illo, ſempiternoꝙ conſortio Angelorum iterum con-

 iungantur,

iungantur, fruituri præsentis Dei conspe-ctu in omnem seculorum æternitatem. In Hispanias igitur, necessarijs suis vbi cun-ctis perhumaniter valedixisset, enauigauit cũ sorore Maria Vidua, contulitq; se in reg-num Castiliæ, & rectà in illud Cœnobium S. Iusti, quod Eremitæ habent non procul ab vrbe Valdoleta. Annis enim multis an-tè, propè id Cœnobium sibi ædes nonnul-las eum in vsum, vt aliquando ibi, abdicato Imperio, priuatim possit viuere, totusq; va-care diuino cultui, adornari curauerat. Eò itaq; in loco Cæsar, continuo vt venerat, il-lam est, quam diu multumq; ante sibi pro-posuerat, priuatæ vitæ normã auspicatus, sed tanto maiore hominum admiratione, quanto admirabilius est, summũ, quod te-nuit, in orbe terrarum culmẽ sponte abs se desertum spernere, quàm hoc ipsum adipisci, quod admirantur omnes, quod potẽtissimi quiq; affectant. O sempiternũ, et nunquam interiturũ humilitatis monumentũ. Quàm diuersum ab hoc summi Imperatores olim? Iulius quidem Cæsar virtute, rerumq; ge-starũ gloria vix vlli secundus: at, quo tamen

ambitionis

ambitionis furore agitabatur: Quos ille ex Euripide versus semper in ore habebat:

Nam si uiolandum ius, regnandi gratia
Violandum est: alijs rebus pietatem colas.

Quàm fœda fuit etiam in Alexandro Magno ambitio: Et quanquam natura istum principem omnibus regiarum virtutũ numeris quasi absolutum reddere conata est: sed illum tamen quo rapuit fastus: quô ludentis fortunæ flabrum: Decreto publico volebat haberi ac coli Deus. Et cum Philosophũ quendã audisset multos esse mundos asserentem, lachrimans exclamasse dicitur, O miserum me, qui vix unũ obtineo. Tantum malum est regnandi libido: quæ nonnunquam mouet chordas, vt Græci dicunt, immobiles. Qualis vero illa fuit Atrei regis sermocinatio:

AEqualis astris gradior, & cunctos super,
Altum superbo uertice attingens polum.
Nunc decora regni teneo, nunc solium patris.
Dimitto superos.

Hæc profecto, vt cõmunia omniũ regum non sint, sunt certè principũ nonnullorum: qui licet sermone isthæc nõ iactent coràm, corda gerunt talibus referta cogitationibus.

bus. Quapropter iſta Cæſaris non ficta, ſed vera, planeq; vera humilitas, eò maioribus laudibus efferenda eſt, quò exempla eius extant rariora. Quis è tanto, tamq; ſublimi ſolio ad infimum iſtum humilitatis gradum ſeſe vnquam demiſit? Athanaſius Imperator, inquis. Sed ille rebus Græciæ penè deſperatis: Carolus cõtra, rebus florentibus, imperio cõſtabilito, hoſtibus deuictis, celebratis et de Africa, et de tota Europa triumphis: ille propemodum vi coactus, hic volens ſponteq; ſua: ille ſubito, hic re diu ante & deliberata, & decreta, vt vltimum quaſi actũ vitæ, iſtiuſmodi tam pia, q̃ rara cataſtrophe feliciter placideq; concluderet.

Cæſar hoc genere vitæ annos pene tres tranſacto, vſq; ad annũ, qui eſt à partu virginis 1558, menſe Auguſto, articulorum dolore correptus, cõflictatusq; aliquandiu, tandẽ eo, qui ſecutus eſt, menſe Septẽbri, accurrente etiã febri, cepit periculoſè decumbere. Et quamuis alij nihil eſſe periculi perſuadere conabantur: ipſe tamen, vti minimè ignarus ſui, codicillos iubet conſcribi, rem omnem parat ad non incertũ iter. Con-

feſtimq;

festimq; sacerdotem, quem à S. confessio-
nibus habebat, accersit, confitetur, veniam
delictorum contritus petit: absoluitur: nec
mora, quin mox sacram percipit Euchari-
stiam, extremi etiam Chrismatis oleo vngi
tur. In ore autem præter cæteros psalmos,
semper habebat eum, cui est initiũ, De pro-
fundis. Aderat Episcopus Toletanus, vir in
S. literis eximiè doctus, & cum multa con-
solandi Cæsaris causa dixisset, de infirmita-
te et peccatis nostris, vicissimq; quæ Dei sit
erga genus humanum clementia, quæ me-
ritorũ Christi in nos effusa vbertas: tũ Cæ-
sar ad Deum suspirans, sententia vsus Au-
gustini, dixit, Væ etiam laudabili vitæ ho-
minum, si, remota misericordia, discutias
eam. Et continuo psalmum De profundis
recitauit, quem etiam petijt ab Epõ Tole-
tano sibi breuiter, cum plenus esset conso-
lationis, exponi. Fecit Episcopus. Interea
Cæsar iam instare horã intelligens, cereum
sibi in sinistram dari, in dexteram crucifixi
Christi imaginem mandabat. Hanc ille su-
binde, dũ Episcopus enarrat psalmum, exo
sculatus, alta suspiria ducens, significabat

se,

se,animamq́ suam non suis,sed Christi meritis, diuinæq́ misericordiæ commendare. Vix Episcopus Psalmũ finierat, confestim Cæsar spiritum suum in Dei manus commendans, quasi placidè obdormire cunctis circumstantibus est visus. Fuit autẽ is dies S. Mathæi Apostoli, & 21 Septembris, cũ vixisset annos 58, menses sex, dies 26.

O beatam mortem Caroli Cæsaris, si tamen mors dici potest ea tam placida, tamq́ felix ex hac vmbra mortis in illã vitæ lucem migratio. Non ille, medius fidius, mori visus est, sed suauiter obdormire, non mortem obire, sed ipsam quasi vitam gestire tunc primum ingredi. Quæ res circumstantibus amicis tantũ peperit mœrorem, quantum nulla alia calamitas potuisset parere: non quia mortem Cæsaris tantopere lugendam sibi existimarint, ea etenim, cum esse beatam illam viderent, non luctum ipsis, sed gaudium aliquod spiritale afferebat: sed quia, cũ illa Cæsaris mors, vel ipsa vita visa sit augustior, dolebant se non vnâ cum principe suo migrare hinc, non vnâ rapi in cõmunem illam, felicemq́, tam auspi-

cati

cati itineris societatẽ, se hic in ærumnis relinqui, illum transportari in angelorũ contubernia: vt, quando in hac lachrymarum valle multas cũ eo molestias sint, laboresq́ perpessi, nunc vnâ cum eo quoq́ æternæ quietis vsura confestim frui non liceat. Sed illud optare fuit facilius, q̃ adipisci cõtinuo: nam ita ferme est, vt inquit Poëta,

Dulce mori miseris; sed mors optata recedit.

Quamobrem si Cæsarem ideo beatum credimus, quia in gratia Christi, quia in vera fide, quia in constante spe, atq́ ardente charitate Dei sui, placidè hinc, pieq́ discesserit: nos ideò miseros, quia in hac simus ærumnosa miseria relicti: ita vitam instituamus nostram oportet, vt illas, quas dixi, virtutes in eo imitemur, vitia fugiamus, itàq́ feramus huius præsentis seculi fortunã, labores, miserias: vt in futurum illud, vbi fortunæ ludibria cessabunt, et labor erit quies, et luctus gaudium, semper migrare gestiat animus.

Iam fortasse mirabitur quispiam, quid in mentem nobis veniat, q́, cum Cæsari tot tribuamus, tantasq́ virtutes, & eam hone-

 storum

ſtorum operum laudem, vt vix vllus Imperator ei comparandus videatur: nihilominus tamen hæc ſacra ſic faciamus, quaſi dubium nobis, non certum ſit, illum continuo cœlitum commercio frui. Quanquam vero huic nos quæſtioni ſupra reſpondimus, & quidem, ſicut opinor, abunde ſatis, vt alio opus nunc nõ ſit reſpõſo: niſi, quod nos Carolũ Cæſarẽ neque eo in ſtatu locamus, vbi propter ſupremũ gradum Chriſtianæ perfectionis, non egeat precibus noſtris, neque in illo, vbi propter malè actæ vitæ cõditionem his ſacrificijs iuuari non queat: ſed in hoc ſtatu, vti arbitramur, vbi tum indigeat ille, tum nos eum poſſimus iuuare vtiliter. Qua autem lance vtrumque ponderandũ, antea eſt dictũ, nunc repeti non neceſſarium. Nam gratia Baptiſmi regeneratus fuit, Eccleſiæ aſcriptus ciuis, Dei factus amicus, ac hæres regni cœleſtis.

In peccata deinceps recidit? Eluit pœnitentia. Deũ offendit? contritus doluit, confeſſus veniam petijt: culpamque eius deleuit gratia, pœnã æternã exoluit Chriſtus. Ea lege ſuſceptus Carolus in Eccleſiam eſt, ea

lege

lege & vixit, & vltimũ clausit diem. Atq; ne hæc ipsius morientis obscura esset, aut in certa nobis confessio, imaginem Christi in cruce pendentis sibi porrigi in dextram iussit, in sinistram, candentẽ cereum: videlicet vt in hoc signo vitæ suæ conditionem testaretur, in illo misericordiã Dei atq; gratiam. Etenim quid imago illa passi Christi aliud vult, quid monet, nisi quod mors Christi sit victoria totius salutis nostræ? Eò itaq; Cæsar respexit moriens, vnde viuens Christianæ vitæ hauserat exordiũ, vnde incrementum sumpserat, vnde id demum, ad finem vsq; vt perseuerare posset, donum supplex morienti sibi concedi precabatur: ne cum Dei gratia præsto sit nõ obluctanti, ipse sibi defuisse, maleq; illis in Gratia donis vsus reperiretur: ac, si quid in his etiam deliquisset, Deus propter eundem crucifixæ imaginis archetypum velit condonare.

Eumq; in finem altera manu cereũ candentem tenebat: quia enim in candela & lumen est, & ardor, & ipsa species rei: lumen, fidei symbolum est, quæ apprehendit verum illud lumen, quod in tenebris lucet,

Christum Dei Filium: ardor vero ignem charitatis significat, quã Spiritus S. diffundit in cordibus nostris: tum etiã, quia nunc spe salui sumus, & per fidem ambulamus, nondum per speciem: itaq; , cum apparuerit, quod erimus, tum videbimus eum sicuti est. D. Augustinus & Hieronymus omnia opera ea, quæ ab homine Christiano exigit diuina lex, docent exprimi ardente lucerna, seu candela: cuiuscemodi illud Christi est, luceat lux nostra coram hominibus, vt bona opera vestra videant, & glorificent cœlestem Patrem.

Quocirca Cæsar tametsi nulli rei, nullisq; vllorum hominum meritis, nisi gratiæ ei, quàm se ex plenitudine Christi accepisse rebatur, confidendum in remittendis peccatis credebat: nec tamen intereà neglexerat, quin, vt, si vitam ingredi vellet, sibi necesse esset mandata seruare diuinæ legis in vera fide, in spe non dubia, in charitate non ficta. Qua in parte Cæsarem viriliter elaborare conatum videmus, si omnẽ illius anteactæ vitæ cursum placet, & morientis exitũ perpendere: sed vtrumq; tamen sic, primum vt

neq;

neq; cum D. Paulo queat dicere, Pulchrum certamen certaui, sæpe deliquit enim: Cursum consumaui, imò subinde impegit, lapsus non rarò: Fidem seruaui, non deseruit quidem omnino, at certè indefensam neglexit aliquando, in sectarios indulgentior, quàm par, asperior in clerum, quàm æquum. Deinde vt neq; debeat dicere cum Cain, Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear. Cum igitur è tribus mediam nobis viam, qua Cæsari in cœlestem patriam pergendum est, integram & viuentis eius honesta studia, & morientis pia sollicitudo reliquerint, nos haud quaq; desperamus, sed eadē misericordia Dei freti, eisdemq; Caroli vestigijs innixi, cereos nostros accendimus, Crucifixū Christum inuocamus, eiusq; tum merito, tū gratia credimus hosce cereos nostros, quibus ista sacrificia et preces et eleemosynas nos offerre testamur, Deo placere, animæ defuncti Cæsaris prodesse.

Nec, dū id facimus, noui facimus quicq;: Diuus enim Athanasius in funebri oratione sua, Postq; is, inquit, qui piè diem obijt, in aërem positus est; tu Christum Deum inuocans,

cans,

cans,ne recuses oleum & ceram ad sepul-
chrum accendere. Grata.n. Deo hæc sunt,
multumq; ex sese afferunt retributionis.
Nam oleum & cera holocaustosis sunt: in-
cruentũ vero sacrificium, propitiatio est: in
pauperes autẽ, beneficentia, augmentũ est
omnis bonæ retributionis. Non solũ ita nos
D. Athanasius docuit olim, sed etiam Hie-
ronymus, Augustinus, et cæteri omnes do-
ctores catholici.

In eiusdem autem rei notationẽ et puero,
nuper nato, cereũ præferimus et Chrismate
illũ inungimus, vt per sacramentũ Babtis-
mi regeneret, in hoc gratiã Dei misericor-
diamq; significantes, in illo fidẽ, spem, dile-
ctionẽ: in eiusdemq; rei notationẽ & mori-
turo cereũ ministramus, & imaginẽ passi
Christi, vt & hoc, & illo signo admonitus,
per sacramentũ pœnitentiæ credat se Deo
aut esse iã, aut mox iri recõciliatũ: in eiusdẽ
deniq; rei notationẽ, et nos defuncto Cæsari
nũc Cereos pullati accẽdimus, id præ nobis
ferentes, qđ deceat nos eã in defuncto pœ-
nitentiæ partẽ, quæ tẽporales pœnas exo-
luere satisfactione iubet, subleuare conniti

ieiuniis,

ieiunijs, eelemosynis, precibus: sed merito illius tamen, cuius imago crucis typum gerit, cuiusq; memoriam celebramus iam in his sacrificijs. Nam quemadmodum cereus inutilis est puero absq; Baptismo, & cereus stultè versatur in manu morientis, absq; sacramēto pœnitentiæ: sic & hæ faces accensæ, id est, preces & ieiunia, & eelemosynæ nostræ, futiles sunt absq; virtute incruentæ hostiæ.

Has deniq; similesq; ob causas fiunt à nobis hæc sacra, & hæc iusta exequiarum. In quibus tametsi multiplices cernuntur, variæq; ceremoniæ, in eundem tamen fontem reuoluuntur, vt nihil sint, nisi eiuscemodi delictorum expiationes; quæ natura sua cadunt in lancem veniæ, vel sunt temporaliū flagellorū mitigationes quædā. Iam igit si instes, rogesq;, qd sibi velit ea tāta cereorū cōgeries, tanta panni atri partim substrati, partim affixi copia, tot insigniū splendor, tantus vexillorū, cericatorumq; equorum apparatus: quorsum etiam tot infulati antistites, ea tanta pullatorum caterua. Quid, inquis, hæc prosunt? quò spectant? quid aut

N viuis

viuis illa, aut mortuis afferũt emolumenti?
D. Auguſtinus, vt in ore populi eſt, reſpon-
det, ſi hæc mortuis non proſunt, eſſe tamen
qualeſcunq; conſolationes viuorum.

Et rectè quidem, vereq; præclarus Do-
ctor Eccleſiæ: ſed quemadmodum nec il-
lud falſum antiqui Poetæ Aeſchyli, γυνίας πε-
τρᾶ, βαθὺ πτῶμα: ita hoc verum quoq; eſt, vt non
perperam Græci, φ πολλὰ πράττων, πολλὰ ἁμαρτάνει.
Eo etenim in ſtatu reipublicæ, qui ſummus
eſt, quiq; aliorum corrector eſſe debet, ſui
conſeruator, nec ab alijs tam conſtitui,
quàm alijs conſtituendi legem tradere, ne-
ceſſe eſt, per officiarios multa delinqui in-
curia, plurima peccari temeritate, iniuſtè
multis ſuũ perire iniquè alijs tradi alienum:
adeoq; vt nihil pene certius ſit, quàm quod
Romanus ſenatus reſpõdit Zenoni Lega-
to Attico, magnas Reſp. regi non poſſe, ſi-
ne maximis multorum iniurijs: non quia ſic
Deus, vt fiat, planè aut velit, aut impellat
homines, ſicut olim Manichæi, nũc ſectarij
docent: ſed quia ea talis eſt plerunq; princi-
pibus ratio gubernandi, vt, cum ipſi omnia
inſpicere, rectè an, ſecus habeant, non poſ-
ſint,

sint, multa illi cogantur officiarijs committere.

Sed nimis magna, inqs, hæc ista funebris pompa est. Magna sane: at magnum quoqꝫ fuit peccandi theatrũ Cæsari. Infiniti cerei, pullati innumerabiles. Non paucioribus eget tantus Imperator pro se, delictisqꝫ suis deprecantium turbis, qui eleemosynis, qui ieiunijs, qui precibus Deũ placent, pœnas temporales mitigent, afferãt defuncto Cæsari istis officijs consolationem.

Quid autem insignia illa imperatoria quæ ostentantur, sibi volunt? Ad aram ea vides offerri, vt Deo, vnde Carolus accepta ferebat, intelligas referri. Diadema autem hoc imperatorium à cæteris regum coronis diuersum est, & multo augustius: duo enim illa, quæ cernimus bisulcati verticis acumina, vtriusqꝫ imperij occidentis & orientis regale symbolum habent: quorum tametsi alterũ Turcarum tyrannus vi iamdudum obtinuit, alterum optimo iure Germani, vtrumqꝫ tamẽ Carolo subiectum parere debuisse, monet forma diadematis. Globus huic aureus additus est, vt constet

totius orbis terrarũ ambitu, Rom. Imperij iurisditionẽ, quæ Carolo Cæsari comissa fuit, terminari, atq; cõcludi. At vero Imperator ne cũ priuatis affectibus de tanta Reip. mole ignoraret sese minimè cõsultare debere, sceptrum gerit & gladium: hunc, vt meminerit imperatoriæ virtutis esse, heroicæq; fortitudinis, vniuersos ciues æqualiter sibi gladio tuendos esse aduersus oẽm vim hostilem: illud, vt iustitiæ custos sit domi, curetq; Resp. legitimis officijs in pace administrari, res priuatas quemlibet suas tuto possidere. Chlamys vero aureis laminis cõtexta, & galea, & aurea pelta, arma sunt ipsius, quibus indui debet, Imperatoris, vt corpus muniat suam contra vim atq; iniuriam: etenim qui multorũ custodem se profitetur, eũ sapientes sui primũ capitis aiunt custodem esse oportere. Holicericati equi, et quæ his singulis singula attributa sunt vexilla, symbola habent regnorũ, quæ Carolus sua habuit, quæ rexit, quæ defendit. Tredecim autem equi cũ sint, totidemq; vexilla, tot ergo regna significari intelligimus, Rom. Germanicũ, Castiliense, Arragoniũ.

Leonense,

Leonense, Neapolitanum, Siculũ, Nauarrense, Granatũ, Toletanum, Austrianum, Burgundicum. Quæ regna quoniam optimo iuris titulo accepit atq; possedit, excelso animo & generoso tutatus est, summa clementia atq; æquitate gubernauit, ornauit, auxit. Iam vero officio defunctus suo Carolus, more maiorum illa ad aram, Deo, à quo sibi tradita meminerat, integra hisce exequiarũ ceremonijs restituenda reliquit.

In istorum vero tot, tantorumq; regnorum imperio, nihil deliquisse Cæsarem, asserere, nimium adulantis est, perditè etiam flagitioseq; vixisse, iudicis vehementer inhumani. Etsi autem (quia Dei minister esse debebat, non cupiditatis priuatæ) non ignorabat se illis tam augusti imperij insignibus non abuti, quod forsitã accidit aliquando, sed rectè honesteq; ad laudẽ diuini nominis, ad Christianæ Reip. incolumitatem vti debuisse: tamen dubium non est, quin abusus sit nonnunq;, quin deliquerit sæpe, quin vnà nos, cum D. Iacobo fratre Domini, illum confessum oporteat asseuerare, Quod in multis offendimus omnes; cum,

etiamsi sanctè vixisset et inculpatè semper, (quod speramus) omitti tamen ab ipso inter precandum, hæc precis pars non potuerit, Remitte nobis debita nostra. Eam sane ipsam ob causam, castrum doloris, vbi cenotaphium Cæsaris est, exstructum tali (sicut videmus) esse forma oportebat: vt, cum ad id omnia regnorũ insignia adduci cernimus, agnoscamus esse Cæsaris peccata quædã in administratione tot regnorum commissa: ob quæ forsitan, & ipsum dolere, & mœrere nos deceat. Verum tamen ne aut nos de nostris meritis stultè confidere existimemur, aut ille de gratia Dei desperare, eadem regnorum insignia ad altare offerimus. Ad quod altare autem? ad id prorsus quidẽ, in quo pro delictis in gubernatione imperij à Cæsare fortè commissis, offerĩ corpus & sanguis Domini: vt huius pleno quidem merito, sed precum nostrarũ eleemosynarumq́ intercessione, Carolo Deus peccata ea, quorũ ipsum aut, quoniã agnouit illa, pœnituit: aut, quoniã ignorauit, pœnitere debebat, clementer condonare dignetur.

Hæc

Hæc de exequijs, vitaq; Caroli Cæsaris breuiter nunc dicenda videbantur: quanq; res gestæ illius latius patent, quam vel hæc occasio fert, vel sacra ista permittunt explicari: sat ergo, quod tempori sufficit, quod huic loco præsenti non est importunũ, quod quoquo modo adumbrare tantæ rei magnitudinem posse videbatᷣ. Iam vero id nobis cogitandum relinquitur, quantum Deus Christiano orbi bonũ elargitus fuerit, cum daret Carolum imperatorem, quantumq; vicissim malum nobis videatur imminere, cum eum eripuerit, non cõmuni hominum sorte, sed inusitata imperij abdicatione, sed sacratiori quodam vitæ generis instituto. Diuinitus Carolum his temporibus datum Imperatorem, dubium esse potest nemini, nisi forsitã ei, qui, quæ isthæc tempora sint, & qui fuerit Carolus, planè ignoret. Si sua cuiusq; hominis natalis dies, non sui est, aut humani arbitrij, neq; fortuiti casus, sed ipsius Dei prouidentia, omnia ad bonũ aliquẽ finem, suamq; inprimis gloriã ordinantis: arbitror non male iudicare illos, qui censeant nullũ heroa, virumq; magnum nasci

I. 3. vnq;

vnq̃, absq; afflatu diuino, siue ethnicus ille sit, siue Christianus, tametsi hunc potius, quã illum: quemadmodum D. Augustinus non obscure passim.

Quapropter non tam fortasse ad personam debuit, quàm ad naturã, quæ Dei opus est, referri, qđ vsitatum fuit heroas vocari Diuos, quia sint tales viri dona Dei plerumq;. Alexandrum Magnũ & Cæsarem Octauium Diuos dici solitũ meminimus. Scimus enim Octauiũ Augustũ in mense Augusto, cum puer adhuc esset, præter morem eius Reip. et legem, factum consulem: scimus etiam eodem mense & statum popularis Reip. in monarchiæ formam ab eo transmutatum esse, & plurimos illum in eodem mense felices habuisse & secundos successus, in eodemq; esse mortuum. Quin et suum Alexandro Magno natalem diem plenum fuisse felicis auspicij, commemorant historici: etenim sexto die Aprilis natum illum accepimus, & eodem die victum ab eo Darium Regem Persarum, & eodem die mortuum. De Carolo autem Imperatore nõ diuersum modo, sed simillima,

vel

vel potius eadem possumus dicere. Natus ille est in anno Iubilæo, & ipso die D. Mathiæ Apli: quo die & inauguratus Bononiæ, accepit diadema, & sceptrũ Romani Imperij: quo die et Franciscũ regẽ Galliarũ insigni prælio vicit, captiuũ tenuit; quo die demũ Augustissimus Imperator Ferdinandus ei has exequias Augustæ fieri curauit?

Eum vero talem principẽ, talem heroa, talemq́ Imperatorem nobis ademit Deus die Mathæi, quem die Mathiæ Apostoli dederat. Quid putamus? vterq́ Apostolus, quia à verbo matan, quod donum significat, nomen accepit, fortuitò ne eos Apostolorum dies, alterũ in natalem, alterum in mortẽ Cæsaris incidisse, credendũ est? Non equidẽ opinor, sed Deo sic ordinante, Deo sic ponderante ad certã legis suæ regulam; cum rata sit, stabilisq́ diuinæ prouidentiæ in rebus humanis certitudo. Quapropter si nasci Carolũ, ediq́ in lucem hanc, ipso die Mathiæ, Dei donum fuit, signumq́ gratiæ: certè diuinæ iræ indiciũ esse videtur, idem donum nobis eripi die Apostoli Mathæi: quasi, cuius tẽporis notatione illud donum

O obtigerit,

obtigerit, eiusdem ereptum existimare debeamus. Sed hoc, quale sit, cogitantibus nobis, ò Deum Immortalem, quæ subit in mentem omnium rerum conuersio, qui imperij huius, & Germaniæ totius extremus agon, ac veluti vltimus vitæ conatus?

Atqui de Religione nostra vt taceam, ea enim adeo in tot diuisa & lacerata partes est, vt nemo pius reminisci possit absque ingenti dolore, nemo recordari absque gemitu & lachrymis: sed de ciuili statu huius imperij si licet, quod res ipsa palàm clamat, mussitanter effari, quid remedij superest nobis? quæ spes salutis apparet amplius? quæ conferemus consilia, vt saltē reliquias tueamur, non dico, vt recuperemus integrum corpus? Omitto intestina mala, prætereo clades partim in occidente acceptas, partim in septentrione, nec refricabo, quæ mala illinc iam videantur impendere nobis: hoc saltem refero nunc, vt etsi vndique pax appareat, vndique securitatem speremus: à Turcico tamen Tyranno reor nobis timendum esse, cum ille fidem seruet nemini, omnibus Christianis natura hostis semper, licet

cet verbo amicitiam colat aliquando, re ipsa tamen nunquam.

Nec sane mirum. Apertas enim ille habet, & paratas in Germaniam vias duas, hæresin & anarchian: quarum illa Deum à nobis alienauit, hæc vires Reip. distraxit, illa cōsilia perturbauit domi, hæc foris effecit vt arma sint nostra infelicia. Hisce Germaniæ lætalibus malis medicum Deus Carolum Imperatorem dederat, vt collapsum imperij statum erigeret, vt fulciret miserabilem labentis Ecclesiæ ruinam. Eundem verò Carolum, cur Deus recepit, præsertim tempore minus opportuno, magis periculoso? Quia erigere conantē impediuimus, quia fulcientem penè oppressimus, quia demum omnia ornamenta huius imperij, omnem Ecclesiæ authoritatem abijcere maluimus, quàm paululum à peruicaci recedere opinione nostra. Multa signa sunt non verisimilia tantū, sed ipsa penè veritas, prorsus ruiturū fuisse hoc imperium, nisi ineffabili Dei benignitate nobis Ferdinandus tā desperatis rebus obtigisset imperator. Cui vtinam æquè fideliter, promptequè obtemperent

perent subditi, ac ille imperaturus est piè, moderatè, prudenter. Dabit ille operam, credite mihi, si pertinaces non fuerimus, vt, sublatis de religione dissidijs, animi ciuium vera fide Christi & charitate mutua iterum coalescant, vt collatis viribus Christianorum, bellum legitimè suscipiatur aduersus Turcicum Tyrannum, vt non à finibus modo illum nostris, quos iam vastantem cernimus, propulsare, sed etiam regna amissa recuperare possimus.

Non contemnendus sane is hostis est, sed metuendus vehementer, si solum successus barbari victoris considerabimus, non causas victoriæ. Etenim res nobis cum eo hoste, & cum hoc Tyranno est, qui totius Assyriæ, qui totius Aegypti, regniq; illius florentissimi Sultanici dominus est: qui Græcorum tenet imperium: qui Bulgariam, Vallachiam, Seruiã, Thraciam occupauit: qui Vngariam penè vastauit vniuersam, potissimam partem nobis eripuit: qui pium regem Ludonicũ, memoria nostra, ingenti prælio superatum in eum locum compulit, in quo illi moriendũ fuit. Cuius Tyranni

pater Solymus Capsonem, Tomonbeumq́; Sultanos sæpius iusta acie victos, alterũ in fuga obtriuit, alterum curauit laqueo strangulari. De Mahomete autem huius, qui adhuc in viuis est, Solymani auo, quid dicam? Constantinopolin ille expugnauit, ipsumq́ Imperatorem Constantinum fortiter quidem pugnantem, sed vi oppressum, interemit. Idem Mahometes regno Bosnæ debellato, regem Stephanum victum captumq́ iussit obtruncari capite: idem Trapezuntium Imperatorem Dauidem Vsuncassanis Persici regis socerum occidit, cruderlterq́ cunctam eius deleuit prosapiam. Quid vero Amurathes huius secundi Mahometis pater? Magno conflictu Vngarorum exercitum apud Varnã ad internecionem deleuit. Similiq́ crudelitatis successu Baiazetes primus pater Amurathis, Marcum trucidauit principem Seruianorũ, vniuersamq́ & Bulgariæ & Seruiæ nobilitatem funditus eradicauit.

Hæc certè, aliaq́ generis eiusdem, quæ plurima omisi consultò, non minus horrenda sunt extremæ immanitatis exẽpla, quam

 haud

haud incerta monumēta Dei nobis irascentis, fortunæ rebus nostris valde reluctantis: quorum neutrū videre, insani stuporis est, alterutrū contemnere, infinitæ temeritatis: hominumq́ non ita casus humanos despicientium, quàm aspernantium iram diuini numinis. Eum itaq; hostem qui leuem existimat esse, qui facilè superari posse cōfidit, qui vires illius, & tot, tantisq́ superbum victorijs, metuendū non putat, errat is profectò, & errat vehementer atq; periculosè: qui etiam vinci non posse arbitratur, in eodem versatur errore. Aio equidem illum non vinci tantum, sed etiam funditus deleri posse, si ipsos victoriæ neruos malimus, quā victoriæ euentum ponderare. Mihi verò tres esse videntur causæ, quæ, si rectè positæ sint, felices successus, sin perperam, infelices euenire solere: multum enim momenti positum est in causa suscepti belli, in disciplina moribusq́ ciuium ac militum non parum, in æquali numero viriū aliquid magnum certè.

Quis enim non expertus est, quantum in contentione soleat causæ bonitas valere?

quantum

quantum ponderis habeat in vtramq; partem, fauente ne, an aduersante Deo, res aliqua geratur? Tametsi, vt Homerus ait,

Partem sæpe solet meliorem uincere peior:

at hominum tamen id vitio plerumque, non ipsius causæ scimus euenire: cuius in hoc, quod Christianis cũ Turcis est, bello, tantò nos superiores sumus iustitia ac veritate, quantò illi nobis gladio. Non.n. raro accidit, vt bona causa, malè tractãdo, fiat deterior. Non, mediusfidius, religio Christiana in culpa est, non fides Catholica nostra, nõ hi ritus, & hic iste Ecclesiæ, quem maiores nostri secuti sunt, ordo: sed perfidia, maliq; mores nostri, sed hæc carnalis libertas, qua sibi quiuis putat, quid libeat, licere, atq; vel inprimis hoc exitiale inter nos nuper ortæ discordiæ incendium: quod plurimi accendunt subinde, rari restinguere conantur. Annis abhinc plus minus noningentis, cum Græcia diuersis redundaret hæresium fluctibus, gens ingeniosa quidem, at cũ contentionũ esset, quàm veritatis amantior, malletq; superbæ dominandi libidini obsequi, quàm exhibere debitum Apo-

stolicæ

ſtolicæ ſedi honorē: eſt tum ſtupenda quadam Dei permiſſione oriens ab occidente reſectus atq; auulſus: vnde confeſtim inexpiabilis diuina vltio ſecuta, Turcico furor i carcerem, quo ille diu continebatur, effud it ſic, vt iam liberè poſſit, quocunq; velit, euagari, pœnasq; ſumere de immaniſſimo flagitio patrati ſchiſmatis.

Dependerunt Græci pœnas hactenus, luuntq; in hunc vſq; diem, non fœdiſſima ſolum corporis ſeruitute, ſed multo magis etiam (quo nihil miſerabilius eſt) ſempiterno animarum exitio. De ſingulis non loquor, ſed de vniuerſa apoſtaſia. Admirabile Dei iudicium. Animaduerſum eſt in Iudaico populo priuatæ opinionis labē, quam Græci hæreſin vocant, cauſam fuiſſe ſchiſmatis, ſchiſmaq; viciſſim eò reducere ſolitum iſtam inſtabilitatis conuerſionem, vt quod in Spiritu Dei ceptum, in ethnicam degeneret idololatriā. Exempla non multa recitabo: cognitæ enim ſunt hiſtoriæ ſacræ de duobus filijs Noe, de Eſau filio Iſaac, vnde etiam Edomitarum extitit ethniciſmus: nec opus eſt vel Aegyptiorū hic, vel Afro-

rum,

rum, de Christiana fide defectionem cōme-
morare: nec, quæ Asianos peruerterūt, nec
quæ submouerūt Arimonos, nec quæ Græ-
cos à Catholicæ Matris gremio alieniores
effecerunt, peruersa studia: quis enim ea
non dolet? quis non deplorat ea tot Chri-
stianorum exitia?

Domestica inspiciamus, & enata domi
nostræ mala: quæ non minus Germanis
eundem infidelitatis exitū, quàm cæteris,
quæ defecerunt, nationibus, allatura viden-
tur. Quid enim nos aliud nunc, quàm illi
quondam? Vestigia maiorū relinquimus:
nouis rebus studemus: veteres non ita osci-
tanter negligimus, q̄ studiosè conamur de-
lere, memoriam illorum extinguere, anti-
qua illorū instituta euertere radicitus, suf-
fercire noua & nostra, plurimum à primis
illis, vnde Christianismus ad nos permana-
uit, diffidentia. Feret ne hoc Deus in nobis,
quod hactenus in nulla gēte tulit vsquàm?
Non feret, creditote mihi: vlciscetur autem
tantò sæuerius, quantò nos peccamus gra-
uius, idq; scientes, minime ignari, quid nos
deceat, quid lex diuina iubeat. Quapropter

alterutrũ è duobus necesse est, aut nos easdem pœnas Deo soluere perpetua seruitute corporis et animæ, quemadmodũ exemplo nobis gentes sunt pleræq; : aut certè Deum placare pœnitentia: vt, quia discordes fuimus, studeamus concordiæ: vt, quia summis magistratibus rebelles obluctati sumus, eisdem obedientes pareamus in posterum: vt, quia ab Ecclesia recessimus, redeamus ad Ecclesiam: vt, quia salutaria instituta maiorum abiecimus exosa, eadem repetamus adamata: hæresesq; relinquamus, reuertamur ad mentem saniorem: satis enim, satis inquam, illusum est innoxiæ plebi, satis indultum priuatæ libidini, satis insanitum animo, satis maledictum Ecclesiæ, & huius sponso Christo Iesu.

In hisce nobis elaborandũ est, huc omne sanctioris pœnitentiæ studium conuertendum, hisq; ante domesticis medendũ vulneribus, q̃ aut vlla nobis speranda foris victoria de hoste, aut domi instauratio ruentis imperij, aut præsentium cladium auersio salutaris. Nec morã res patitur, cui vel hæc ipsa hora noxia potest esse mora: sed cõnitendum,

tendum, dum tempus eſt, dum Deus pœnitendi ſpaciũ largitur, & deliberandi diem cõcedit Tyrannus: ne citius iuſta pœna nobis luenda ſit, q̃ iniuſta culpa expianda. Nihil, hercule, certius, q̃, quod Græcis iampridem euenit, Vngaros iã incepit attingere, malum inſtare nobis: vt, cũ veram Chriſti libertatẽ concordes ferre in Eccleſia nõ potuimus, crudelẽ impij Mahometis feramus ſeruitutem in extrema barbarie, diſcordes, varijsq; diſtracti hæreſium cõtentionibus.

Hæc profectò eiuſmodi eſſe reor, vt non dubitẽ his iſtis domeſticis malis ſtantibus, ſtare Germaniam nõ poſſe, ſed ruere illam oportere, ſpemq; nõ præſentis uitæ tantum, ſed multo magis etiã futuræ illius cœleſtis omnem neceſſariò nobis labefactatum iri. Annales Romani Imperij cõſulite: euoluite Sacras Hiſtorias: quoties enim Iſraelitæ victi profligatiq; leguntur, toties cauſam cladis legimus fuiſſe eam: quia Dei legem violauerint, quia de peccatis non pœnituerint, quia nec admoniti prauos vitæ mores correxerint. Sic etenim ipſe Deus & felicis ſucceſſus cauſam, & calamitatis

exposuit Israelitis. Si audieris, inquit, vocem Domini Dei tui, vt facias atque custodias omnia mandata eius, quæ ego præcipio tibi hodie, faciet te Deus excelsiorem cunctis gentibus. Dabit tibi Dominus inimicos tuos, qui consurgunt aduersus te, corruentes in conspectu tuo: per vnam viam venient, per septem fugient à facie tua. Dum igitur Rex Achab, populusque obtemperarent concionibus Eliæ, dum Baalitas sacerdotes respuerent, dum altaria Baal vitarent, & sacris vacarēt traditione maiorum receptis, dum de commissis erroribus, nouisque Baalitarum studijs pœniterent, & lætarentur de restituto vero cultu diuino: domi tū respublica florebat, populus tranquilla pace fruebatur, foris Rex feliciter pugnabat aduersus Benadad regem Syriæ: contraque dum idē Rex Achab Eliā aspernaretur, sacerdotem Dei, consilium secutus promiscuæ multitudinis, populusque diuinū cultum à maioribus acceptum relinqueret, nouis Baalitarum diuerticulis insistens: sunt tum confestim oīa versa in contrariū. Nam vbi Rex Achab, renouato bello, iterum

præliantur

præliaretur in Ramot Galiad, iaculo ipse transfixus interijt, hostis integra victoria potitus est.

Possem multa exempla recitare, si tempus orationem desideraret longiorem. Legimus Constantinum cognomento Magnum, multis à Deo varijsq́ ornatum victorijs, quòd Catholicũ scripturæ sensum tuebatur, Arianam hæresin refellebat, q antiquas leges valere volebat, noua sectariorũ placita delere conabatur. Quod sane cum principum nonnulli, qui successerunt Constantino, negligerent, vel quia eisdem erroribus implicati faciebant cum sectarijs, vel quia supina incuria serpentem pestem nõ satis maturè auertere cõnitebantur, ortis tandem passim in Græcia hæresium factionibus, eò imperium prolabi passi sunt, vt & ipsi imperatores prorsus deleti, fædissimè perierint, & populus sit in miseram ærumnosamq́ seruitutem redactus. Moueat nos hoc deplorandum Græci schismatis exemplum: abstereat ab imitatione imminentis mali, similitudo: pœniteat domestici schismatis, pigeat alieni; redeamusq́ ad concor-

diam Ecclesiæ catholicæ, ad cultum auitæ religionis, quam Christus instituit, Apostoli tradiderunt, maiores propagarunt ad nos cum florente Rep. Christiani orbis. Atqui id si sedulò fecerimus & maturè, præcipuum & instaurandi imperij, et obtinendæ aduersus Turcam victoriæ fundamentum rectè firmiterq; iactum, sanctè polliceri possum: sin minus, frustra, frustra inquam, foris bella suscipiemus, planeq; infeliciter, nisi prius domi in concorde religionis nostræ consensu, Deũ studeamus iratum placare, & seriò orare placatum, vt ipse consilia salutaria suggerere, & copias & opes suppeditare velit.

Hæc meo, quidẽ iudicio, domesticis discordijs medicina est, hæc potissima obtinendæ aduersus perpetuum Christiani nominis hostem victoriæ causa: si nos de voluntate Christi ducis nostri nõ simus discordes, si de fide religioneq; Christianorũ non discrepemus distracti, si vno ore, vno corde Dei opem imploremus: ne, cum salus nostra ab ipsius sola pendeat benignitate, contrarijs votis Dei iram potius, quàm misericordiam,

cordiam, mereri intelligamur. Etenim quã fidæ societatis spe stabo cũ cõmilitone meo in eadem acie pro fide Christi depugnaturus contra pfidiam Turcicam, si sciam illum de eadem hac, pro qua præliandum nobis est, fide digladiari mecũ? Non uideo equidem, nec ulla ratione assequor, quî illum fidum mihi socium belli fore queam persuadere, quẽ in ipsa fide Christi infidelem iudico. Non ignorat hoc Solemanus Imperator, non inscius est Turcius miles, eoq; fit, ut Christianorũ exercitus sociæ fidelitatis uinculo dissolutos, tanquam eneruatum sediciosæ plebis gregem contemnat extremè, inuadat animosè semper, uincat plerumq;. Quæ autẽ eius perfidæ militiæ nostræ alia causa adduci potest, nisi exitiosum hoc religionis nostræ dissidium? hoc etenim exulcerati sumus, hoc dissociati, hoc in vatinianum coniecti odiũ, hoc impellante in mutuas clades irati descendimus, in mutuas cædes furiosi ruimus.

Bellum à Turcis cum denunciatum est, se, qui quoquo modo potest, domi continet, auxiliatum exosis fratribus non prodit: vel

si qui prodeunt tamen, illi aut quia trahuntur inuiti, parum pugnant strenuè, aut quia sic plerique omnes affecti, vt hostem malint vincere, quàm vinci, ne domi cogant metuere sectariæ religionis emendationem. Quare quemadmodum hæc fæda nostra de Christiana religione dissensio nobis præcipuum malũ est, ad infelicem militiam, et ad omnes hasce clades nostras: ita vicissim eadem Turcis præcipuũ est bonum, quo nos oppugnẽt, quo Christiana regna nobis eripiant, quo nos, liberosque nostros, & coniuges abducant in seruilem illam, & perpetuã miseriã. Concordiæ igitur operam demus necesse est, maximeque tollẽdo religionis dissidio, vt, depositis priuatis odijs, animisque stabili religionis cõsensu firmatis, verè statuere possimus, quemadmodum Rex Cyrus monuit, nullam phalangem neque robustiorem esse, ad pugnandum, neque ad obtinendam victoriam, feliciorẽ, quàm ciuiũ concordiam, vera inter ipsos amicitia coniunctorum.

Altera verò causa rei nunc melius, quàm hactenus gerendæ, in disciplina militari, mori

busque

busq; ciuium posita videtur. Quæ, proh Deum, iam nescio, quo Christianæ libertatis obtentu, sic dissoluta effluxit, vt vix, vnde discessit, reuocari vllo modo posse videatur. Libertas creditur illa esse, planeq; Christiana, & antiqua Germanorum, sic viuere vt velis, id licere, quod libeat: contraq; seruitutem esse, facere quod lex iubet, omittere quod vetat. Ea in stulta persuasione, aut insana potius, dum versamur, falsis circumuenti decretis sectariorum, vereor ne, cum maximè liberi esse elaboremus, in extremam trahamur seruitutē. Quis enim libertatem ferat eam, quæ honestati inimica sit, sacratis legibus aduersa?

Lex iubet, vt Deum timeas, honores regem, vetat contrariū. Si libertas neutri volet obstringi, vtrumq; sibi liberū esse, quid futurum est? Quæ rerum omnium conuersio? Qui diuini pariter atq; humani iuris interitus? Deum legitimè timere quis potest, nisi etiam regem honoret suum? Etenim, quia Imperator tuus, Dei minister est, huic vt obedias, oportet, hunc vt reuerare, est necesse. Tum etiam, vt poëta inquit,

Ei itaq; obtemperemus, quem scimus Imperatorē diuinitus nobis obtigisse: ei praesto simus consilio, auxilio, manu, qui omnes defensos esse studet, desertum neminem: eum, quò vocat, sequamur: vocat autē in sacrum bellum, in Christianam militiam, in necessariam cōmunis patriae defensionem.

Nec dubium est, quin & ipse Imperator, vt heroico est excelsoq; animo praeditus, si videat caetera esse paria, si cum dignitate Imperatoriae Maiestatis queat fieri, sit proditurus in acrem, felix haud dubiè in iustissima causa bellator, princeps iustissimus aduersus nefarium sceleratumq; Tyrannum, sui ipsius dux exercitus. De Rege autem Maximiliano, quid nos oportet humile, aut abiectum sentire? Illius animosae virtutis exempla, tanquàm strenui militis, collaudauit Carolus Imperator edita in Gallijs, designata in Germania: tanquàm clarissimi ducis etiā nunc in Hispanijs celebrant testes oculati. Ferdinandū vero Archiducē quis non coelitus demissum agnoscit, diuinitusq; datum gaudet hoc tempore nobis sacri belli

li ducē? Huic enim natura corporis robur, cum infracti animi viribus coniunxit, exornauitq́ vtrumq́ illustri ingenio, mirabiliq́ mentis sagacitate atq; iudicio. Senserunt iã hoc Turcæ profligati nuper in Vngaria, sentient deinceps, auxilio diuino, efficacius. De Carolo autem, an mediocre aliquid generosa illa, & imperatoria, quæ apparuit in puero, quæ in adolescente eluxit, indoles sperare iubet? Quid habent Turcici Tyranni cum horum aliquo comparandum? Hi piè honesteq́ educati, vera fide Christi Redemptoris à teneris imbuti, artibusq́ instituti præclaris, ad rectè iusteq́ imperandum necessarijs. Illi contra ab ineunte ætate ad libidines & stupra assuefacti, ad immanitatem barbaricam informati, ad cædem, ad sanguinem edocti, alijs ad perniciem nati, sibi ad perpetuum animæ interitum.

Firmius ne istius Tyranni imperium esse credendum est, quod omnium bonorum oppressione nefandum, quod omnium sceleratissimorum libidine, auaritia, crudelitate, abominabile? an verò hoc nostrum, quod iure legum, quod æquitate, quod iu-

ſtitiâ, quod humanitate & manſuetudine magis temperatur, quàm regitur: quod approbante Deo ſanctum, iuſtumq́ꝫ exiſtit: quod à legitimo hærede ſuſceptũ, et iureiurando vltrò citroq́ꝫ & dato & accepto, iuſtam imperandi cauſam habuit ſemper. Tale imperium fuit quondã in Germania, & quidem memoria maiorum: quanq́ꝫ vereor ne, ſi ad antiqua Patrum inſtituta non reuertemur, fuiſſe talè rectius nobis liceat, quàm eſſe, dicere. Sed vtcunq́ꝫ illud ſit: quid Solemano in hæc regna noſtra, et prouincias iuris eſt, homini nimirum Scytæ, ex obſcuris Caucaſi montis latebris erumpenti? Nihil. At vincit tamen. Fateor. Voluit Deus iſtam peccatis noſtris iniectam eſſe ſecurim. Sed, vt Propheta inquit, Ecquid gloriabitur ſecuris aduerſus ſectorẽ ſuum? Tametſi quidem, vt ait Syneſius, magiſtratus vtitur lictorum carnificumq́ꝫ opera nonnunquam, vt boni defendi queant, caſtigari petulantes: non tamen infamia iſtorum, nec immunitate impurorum hominũ delectatur: ita quamuis vtitur Deus Turcici Tyranni ſæuitia, tanquã inhumani Carnificis,

vt

vt nos correcti tandem redeamus ad pœnitentiam, & ad obediendi legem: nō tamen hoc Deus abominandum flagellum feret vlterius, quàm vbi nos suos filios uiderit ad emendationem cōuersos esse.

De corrupta autem militum nostrorum disciplina nō est instituti nostri, mentionem iniicere aliam, nisi quæ cuiuis potest, etiam me non admonente, succurrere, cum nemo, quàm fæda illa sit, quàm dedecorosa, nō videat palàm. Germani militis virtus quondam terribilis erat cunctis exteris nationibus, nunc risui plerisq; & ludibrio est, omnibus propemodum spreta ac vilis. Quod malum ego tamen nō ita ex aliquo natiuo degeneris naturæ vitio metior, atq; ex peruersissimis diuersarū hæresiū licentia ac corruptelis: quæ etiam in generosis hominibus simul ac mentes eorum à Deo auerterint, cōfestim sic animos reddunt effœminatos, sic eneruant corpora, vt imbelles et sint & merito habeantur, victi semper, victores nunquàm. Quid Græcos, & Thraces, quid Aegyptios effœminatos imbellesq; effecit, nisi Christianæ fidei, morumq; corruptelæ,

 studium

ſtudium ſectarum & contentionum, nimia libertatis cupiditas, rectè obediendi faſtidium? Sed aliena iſta ſunt: proferam noſtra. Qua enim illi, noui euangelij aſſertores, vnquam potiti victoria ſunt? In Heluetia ſunt multi à paucis cæſi, in Germania ruſticorū infinita multitudo, exigua pricipum manu deleta, in Vveſphalia oppreſſi Anabaptiſtæ. Quid deinde ſecutum, victore Carolo, non repeto. Quoties vero exercitus noſtri ad internecionē trucidati in Vngaria? An ignotæ clades acceptæ primū ad Sectium, deinde ad Budam Vrbem, poſtremò ad oppidum Palaſtum? Fœdè pugnatum, & minus viriliter, quàm vſitatum Germanis, res edocuit: omnem militaris diſciplinæ, omnem bellicæ virtutis laudem opinionemq́ tunc noſtros milites penitus amiſiſſe, fatentur omnes: adeòq́ etiam, vt Germano pedite Turcis nihil ſit vilius, nihil cōtemptius. Quid gente Boëmica olim pugnacius? Sed quò virtus ea Huſſitarum ſtudio defluxit? Quanquàm iam diſciplina Ferdinādi, vnà cum fide, omnem breui videntur belli gloriam recuperaturi. Sed noſtros quæ res alia

eneruauit

eneruauit, nisi quia hæreses Deum alienarunt, discordia odiumque ex hærese natum animos debilitarunt, corpora sic effecerunt effœminata, luxus, gula, libido, & carnalis nimiũ illa prædicata libertas: vt spes nulla appareat vllius felicis pugnæ amplius, nisi, vnde temerè seducti sumus, dãno accepto facti cautiores, redeamus ad vnitatẽ Christiani orbis: vtque huius publica authoritate & hæreses deleantur, & disciplina morum instauretur.

Germania, quamuis potens est, quamuis equitatu iam ceperit valere, peditatu ante abundarit semper, sese tamen Turcicis viribus, omnium peritorũ hominũ iudicio, nequaquam potest, vt par sit, opponere. Quamobrem autem, vt sint, qui animæ salutem non faciant tanti, tamen profectò quod, natura duce, omnes animantes solent, vel perpetuum crudelissimæ seruitutis iugum vt à se, suisque, & à cõmuni patria amouere possent, debebant nullam moram interponere, nullam conatum, nullum intermittere studium, quo Germani aliijs Christianorum populis reconciliarent, quo ex vno eiusdem religio-

nis

nis cõsensu, vires possent coniungere, vnanimes in aciem prodire aduersus communem hostem Christi Redemptoris nostri. Atqui eo studio quantum vel ritè effectum viderimus, vel neglectum temerè, tantum quoq; aut prosperi successus, aut infelicis exitij, nobis polliceri posse, vna voce clamant omnes sapientes viri.

Intellexit hoc & expertus est Turcicus Tyrannus: nõ enim ille bellum Christianis infert temerè, aut quouis tempore, sed tum semper, cũ videt Christianos principes domesticis intricari cõtentionibus, mutuis sese armis, cædibusq; conficere. Græciã Mahometes subegit tum, cum de Sicilia & de Neapoli decertantes Hispani cum Gallis, cunctam Italiam conturbarent, & Hussitæ vastarent Germaniam. Baiazetes Methonem Venetis ademit & Naupactum, & Dyrachiũ, dum Carolus Rex Galliæ repetebat regnum Neapolitanum, & Maximilianus ardens bellum cum Heluetijs gerebat. Quid Selimus? Nonnè in Aegyptum ille arma transtulit, victisq; duobus Sultanis, Campsone & Tomonbeio, totum illud

regnum

regnum sibi vindicabat eo tempore, quo Maximilianus internecinum bellum habebat cũ Venetis? & Rex Sigismundus cum Alberto Marchione de Prussia cõcertaret? Belgradum tunc cepit Solemanus, quando Carolus recepit Mediolanum, Francisco Rege Galliarũ ad Papiam victo & capto. Quid Solemanum in Vngariam pertraxit, nisi, quia vidit Carolum Cæsarẽ Italico bello et Gallico irretitum, Ludouico affini suo præsto esse non posse? Quæritis adhuc quo modo creuerint res Turcarum, quo modo nostræ concisæ? Dicam. Ignauia nostra, vigilantia hostium, discordijs intestinisq́ dissidijs nostris, hostium inter ipsos concordia, deniq́ tot, tamq́ diuersarum hæresium peruersis studijs, tot domesticis nostris seditionibus, tantæ opes viresq́ Turcarũ factæ sunt, quantas iam totus Christianorum orbis meritò extimescit.

Quid igitur? frustra arma nostra foris esse non volumus? Consilia sana sint domi, subditi pareant principibus, principes Imperatori. Vincere hostem volumus? Pares vires hosti copiasq́ vt opponamus, necesse est.

At vero vnde? AEraria exhausta sunt, Imperium attenuatum. Dolendum quidem profectò, sed quid futurum? quia alterum priuatæ inopiæ est, alterum publici detrimenti, finis autem vtriusque, interitus. Interitum dico, nisi farciatur vtrũque, occurratur ambobus, & denique sic viuatur in posterũ ex præscripta lege frugalitatis, vt remoto luxu, vt sedatis domesticis tumultibus, vt pace constabilita, liberaliter subditi, quod satis est, contribuere in sacrum hoc bellum & velint & possint. At quoniam nos Germani impares sumus potentia Turcis, odiorum semina, hæreses, eradicemus domi, foris cum cæteris populis, regibusque Christianis conspiremus, in auxilium illos vocemus, in communem illos accersamus fidei Catholicæ, religionisque nostræ defensionẽ, socios atque fratres: quoniamque, cum vna nobis eademque causa vniuersis sit, honestè viuendi libertas, certa doctrina de vero cultu Dei, de sempiterna animarum nostrarum salute: æquum omnino est quoque, vna contra eundem hostem arma vniuersos induere, vno conatu, vno studio barbariem repellere,

fere, vim immanissimi Tyranni propulsare à ceruicibus nostris, à libertate Patriæ, ab impolluto Christianæ fidei nostræ sacrario. Eo pacto Tyrannum vinci posse nemo dubitat: nec ipsemet eius sui vrgentis fati inscius est: quo enim et quanto animi angore dubius hæsitare soleat, quando rumusculum aliquem persentiscit, Christianos reges pacem inter se, concordiamq; inire conari? Quam anxius animi Solymus fuerit tunc, cum Sigismundum Poloniæ, & Vngariæ Vladislaum reges Viennæ apud Maximilianum Cæsarem intellexisset conuenisse? Quàm mitis etiam Solemanus, quàm blandus, quàm ille fucatam stabilis amicitiæ speciem præ se non ferebat, vbi Carolum Cæsarem in Gallijs, cũ in Belgium ꝓperaret, fuisse audiret apud Regẽ Franciscum? Quid facit nunc? vtinã vero minimè. Sperare id forsitan potius, q̃ obtinere licebit: quia quid minus fit verisimile? aliud enim agit, aliud simulat hic Tyrannus. Etenim quàm res lubrica, q̃ dubiæ fidei Tyrannus sit, si habitet in vicinia, Demosthenes animaduertit olim in Philippo Macedone, nos

 in

in Ottomanis experti sumus: quàm nec ipsa tyrannis in aliјs modo, sed in se quoqꝫ perfida sit, & crudelis, exempla nos monent, malitia ipsa ex se testis est. Nam tyrannis, quàm oderunt omnes, domi nusquam tuta est, propter occultam inuidiam, foris in acie vehementer anceps, propter iustitiam Dei vindicis, & incertos fortunæ euentus.

Ea etiam de causa Tyrannus cum, quid agatur, animaduertat minimè obscurè, tantò circumspectius se cõtinet intra fines, aut certè exploratius prodit cõtra hostẽ, quantò videt secũ agi periculosius, quàm cum vllo rege Christianorum. In occasionem igitur intentus est: temerè confligit cum nullo: scit enim si semel res suæ insignem aliquam cladem acceperint, regnum suum nutare, hæsitare subditos, militesqꝫ more suo, fortunæ spectare euentum: & cum homines aliquanto elegantiores, præsertimqꝫ Græci, Scyticæ feritatis pertæsi sint, ad Christianos potius, quàm ad barbariem, illorũ animos propendere, certum est. Huc accedit, quod præcipuum Turcici exercitus robur, potissimè ex seruili captiuorum hominum

turba

turba conflatur: qui magna ex parte coacti militiam exercent, plurimiq; prædandi causa magis, quàm præliandi, Tyrannum sequuntur. Nam, quemadmodum in seruili homine nihil est generosum, nihil liberale, nihil fidum, nihil quod ad preclarè agendum splendeat, nihil quod sit ad virtutis laudem comparatum, sed sordida omnia, cuncta humilia atq; abiecta: sic tamen ad rapinas, ad prædam, ad furta, quasi effigiati à natura videntur seruiles isti homunculi.

Quis ingenuè natus, quis educatus liberaliter, aut vllo versatus honesto in loco, volens istius sequi potest militiam Tyranni? Qui omnes vult aut rusticos esse, aut milites: si sors obtingit, vt sis rusticus, à seruo vt nihil differas, oportebit: sin miles, ne vsquã domi tuæ sis, exul vbiq;, nec quicquàm speres honorificentius, quàm militare stipendium, quasi diuturni laboris mercedẽ. Nulli suum proprium fit prædium, nulli suus ager cultus, nulli præstanti in suos agricolas dominium. An firmum tale imperium esse, & diuturnum potest? Non sanè videtur. Vnus tenet omnia, cæteri nihil habent,

 quod

quod possint proprium ac suum, suorumue dicere, seruorum instar, atque vilissimorum mancipiorum: quorum, ad nutum Tyranni veluti ad lætiferum Basilisci intuitum, omnis vitæ necisque potestas collata est. Liberalis institutio, & natura egregium faciunt fortemque militem, liberalia præmia alunt, honor inflammat ad virtutem, ad decus, ad gloriam sempiterni nominis. Quæ vt apud nos mediocria sint, danda opera est, cum apud hostes penè nulla, aut certè perexigua esse, cõmemoretur. Ea sanè adeo seruilis conditio, animos militum frangit, fidei sacramentum soluit, ad defectionem incredibiliter impellit mentes hominum.

Subditi etiam, in Græcia & Asia, in Aegypto, in Thracia, passimque oppressi, tametsi audientes dicto quidem sunt, at solius tantum metu crudelissimæ immanitatis: siquidem, quo animo verè sint, cum aliâs fortasse obscurius, tum profectò apertissimè ostenderũt Græci annis abhinc sexaginta, quando Carolus rex Galliæ, Italiam victricibus armis penetrasset, occupato regno Neapolitano; vnde rumor in Græciã emanauerat,

nauerat, Gallos ad libertatē Christiani populi, orientem inuasuros esse. Arrecti tum fuerant & concitati Græci, spemq; libertatis ardentius fortè, quàm tempestiuè, præ se minimè dissimulanter ferebant. Si inanis fama tantum solatij fiduciæq; oppressis afferebat, quid futurum arbitramur, si rem seriò videant, feliciterq; geri aduersus Tyrannum? Posse autem illum vinci, posse in fugam verti, posse à finibus propelli Christianorum, ostendit Rex Ladislaus, edocuit Rex Mathias, demonstrauit tum Carolus Imperator, cum ad prælium inuitaret Solemanum, sed hic sortis suæ haud inscius, fuga sibi certa mallet, quàm dubio Marte in malam affectam Græciam parare reditum.

Quamobrē, quod præcipuū est, quodq; vel in primis spem nobis facit, tum vt domi Rempublicā instauremus collapsam, tum vt foris vim, iugumq; turpissimæ seruitutis repellere possimus, necesse est, stabilem concordiam inire Christianos principes, et pro se quenq;, suaq; conditione, mores corrigere, se ad Deum conuertere, atq; eniti pro viribus, vt, refutatis erroribus, constan

tes

tes deniq; permaneamus semper in vera Catholicæ fidei cõfessione. Nulla enim virtus expeditior, nulla efficacior potẽtia, nulla arma feliciora esse possunt his, quàm quæ Deum exercitus nostri ductorem nobis, et cõmunis militiæ cunctos populos, omnes reges, vniuersum deniq; Christianum orbem socios adiungant.

Imitemur Constantinos nostros, Theodosios, Carolos, Ottones, Fridericos, innumerabilesq; alios: qui hanc Christianam Remp. sapienter constituerunt: qui armis fortiter defenderunt: qui compleuerunt virtute, honestis legibus, præclaris rerum gestarum monumentis, summoq; religionis rītè propagandæ studio: cuius vbiq; adhuc passim in orbe Christiano clarissima vestigia extare videmus. Amemus patriam, veneremur Ecclesiam, pareamus authoritati Sanctissimi Senatus, Cæsari fidem præstemus & obedientiam, afflictis consulamus, seruiamus posteritati et futuræ gloriæ, atq; id putemus optimum esse, quod consensu maiorũ receptum, quod iudicio totius Christiani orbis cõstitutumq; approbatũq;

esse

esse, omnes pij prudentesque viri testificantur. Hic enim consensus naturæ tenebras depulit, lucem cœlestis philosophiæ accendit: hic deleuit idololatriam, religionem veram confirmauit: hic immanitatem edomuit barbararum nationum, pietatem docuit, mores honestos introduxit, leges constituit & respublicas, orbemque vniuersum assuefecit & sacerdotibus & regibus suis legitimè parere. Speremus itaque quæ honesta, quæ iusta, quæ pia ac sancta sunt, et quicquid acciderit, feramus viriliter. Sunt corpora nostra mortalia, caduca fortunarum ludibria, plena est hęc ista vita nostra ærumnarū: causa verò, pro qua pugnamus, sempiternæ salutis nostræ culmen cōplexa est: quam cum in Apostolorum sanguine consignatam videamus, in tot millium Martyrum cruciatibus constabilitam, non existimemus hos minus, quàm illos, qui Christianam rempublicam consilijs adiuuerint, pijs laboribus auxerint, forti infractoque animo defenderint, immortalem gloriam consecuturos.

S DE-

QVAS AVGVSTISSIMVS IMperator Ferdinandus, Carolo V. Maximo, imperatori defuncto, charissimo fratri suo, Augustæ Vindelicorũ fieri curauit, Anno humanæ Salut. 1559, diebus 24. & 25. Februarij.



Vanquàm vero Carolum Imperatorem constet anno 1558, die vicesima mensis Septembris, vltimum vitæ diem feliciter pieq; clausisse, in regno Castiliæ, apud Cœnobiũ S. Iusti, nõ procul ab vrbe Valdoleta: eum tamen charissimi fratris sui obitum Augustiss. Imperator Ferdinandus non ante resciuit, quàm, cum, adulto iam autumno, conuentum Boëmicæ nobilitatis habuerat Pragæ: planeq; ipso tempore, quo ad hæc comitia Rom. imperij celebranda iter propè esset ingressurus. Eaq; de causa necesse fuit, cum nec alibi tam citò, nec tam celebri in loco, vsitata exequiarum iusta, more maiorum, persolui possent, differri ad cõmodam opportu-

opportunitatē huius Vrbis Augustæ. Quare cum huc aduenisset Imperator Ferdinandus, re cum peritis talium ceremoniarū deliberata, siquidem varijs ad id negotium rebus fuit opus, decreuerat ad decimū diem Februarij certò parētare fratri, qđ ipsa dies Dominica, Reminiscere, nos mutuæ deuotionis admonere posse videretur. Estq; id tempus, idemq; dies Illustrissimo principi Alberto duci Bauariæ, itemq; Reuerēdissimo Michaeli Archiepiscopo Saltzburgensi, et Reuerendisimo Ottoni Truchses Cardinali, Episcopo Augustano, alijsq; illustribus personis determinatè præfinitus. At enim verò, Deo forsitan aliud dispiciente, ne ea, quam dixi præfinitam fuisse die, exequiæ fierent, varia intercedebant & ardua negotia, necessitasq; ipsa quasi elegit diem D. Mathiæ Apostolo dicatā: quo die & natus Carolus Cæsar fuerat, & vicerat Franciscum Regem Galliæ, & diadema Bononiæ & sceptrum acceperat Rom. imperij: quæq; dies illi fausta semper apparuerat, nunquàm aduersa: vt fatali quadam Dei prouidentia has Caroli exequias sic incidis-

se in

ſe in hoc tempus poſſes dicere. Quo autem modo eæ iſtæ exequiarum ceremoniæ habitæ ſint & peractæ, ex breui hac deſcriptione mediocriter poſſe intelligi, exiſtimamus.

Confeſtim Imperator Ferdinandus, vt venerat Auguſtam, in Cathedrali Baſilica B. Mariæ Virgini dicata, locum iuſſit futuris exequijs conuenientem parari. Sunt autem eo in templo chori duo, alter vetus appellatur, qui in occaſu finem templi claudit, alter nouus ad ortum, in quo quotidiana ſacra peraguntur. Inter hos duos Choros directè in longum, et inter columnas obuerſè in latitudinem, medium eſt & oblongum ſpatium, in quo conciones haberi conſuetum. Huius verò ſpatij vtrumque latus aſſeribus cõtabulatum eſt, & vndique concluſum, hoſtijs ſolummodo binis, in vtroque latere vtriusque chori relictis. Tabulatio autem ex ſolido aſſere confibulata, non altius aſſurrexit quinis pedibus, cum inſuper ad quaternos pedes fermè cancelli lignei contabulatis aſſeribus inſerti eſſent, vt qui extra hoc ſeptum ſtarent, forinſecus intra concluſum

ſum palatium introſpicere poſſent, & quo modo omnia ſacra adminiſtrentur, animaduertere.

In hoc intermedio palatio templi (vulgò à ceremoniarũ magiſtris, nauis dici ſolet,) conſtructum fuit ligneum ædificium, quaternis erectum trabibus, tignisq́ multis ſic extranſuerſo conclauatum, vt, quaſi totum latioribus clatris, perſpicuum eſſet. Parietes erant quatuor, quadrangulares quidem illi ſed inæqualibus lateribus longi: bini enim columnis templi oppoſiti, erant pedum triginta ſex: & bini, quorum alter antiquum, alter nouum chorum aſpiciebat, pedum vigintiduorum: omnes autem quatuor parietes æqualiter alti pedes octonos. His impoſitum tectum è quatuor trabibus, ex ſuo cuiusq́ parietis angulo, accliui aſcenſu protenſis, leniter aſſurgens, accuminatum quidem, ſed obtuſum tamen verticem effigiabat. In cuius apice inſtar tenuioris columnæ, trabs alia ſtabat erecta, ſed multis variata crucibus, ad numerum cubice multiplicatis, ad magnitudinem ex analogia rationis, prout quælibet crux minor cedens

maiori,ab ima parte omnes cruces obliquè consurgentes, corymbi figurã efficiebant. Acumini huius biceps aquila infixa fuit, quasi volatilis, adeo in altum alleuata, vt dorso propemodum cauum fornicis ventrẽ attingeret. Ea tribus erat redimita coronis, Cæsarea vna, quæ posita inter duo colla aquilæ, duabus regijs, vtraque suo vtrilibet capiti accommodata. Consimiles trabeatæ columnę erãt quatuor, è suo cuiusque parietis angulo in altum porrectæ, pari forma ac numero cruciũ, sed absque aquila. His sane trabeatis quatuor colũnis singulis virilis statua affibulata fuit sub base eius corymbi, quem ex varijs formari crucibus, supra dictũ est. Quæ statuæ pulla veste, more antiquo indutæ, in manibus binos cereos habebant, & in pectore auorũ inaurata insignia, vt hæ ipsæ quatuor statuæ, symbolũ essent antiquæ stirpis Austrianæ, quæ è proximis quatuor auis ad antiquissimã atauorũ propaginẽ reuolui posse intelligerẽtur. Cruces verò pariter omnes, insertis candelabris, quælibet albũ cereum candentem sustinebat. Eadẽ ratio etiam in tecto Castri doloris

cernebatur:

cernebatur: nam erat hoc tignis palmum latis, quoquò versum, quasi quadratis cancellatum fenestris: in quarum angulis candelabra singula infixa, suum quodq; album candentem cereum habebat: vt vniuersum Castrũ velut stellati cœli speciem præbere videretur. Quanq; tigni trabesq; omnes atro colore tincti fuerant. Duæ præterea columnæ Herculis aureo argenteoq; colore incrustatæ, vna in dextro latere meridiem versus, in medio pariete tectum Castri fulciebat, in schedula aurea habens inscriptã hanc vocem, PLVS: altera in sinistro latere ad septentrionẽ pari modo, vt prior, fulciens in medio pariete tectum Castri, habebat vocem, VLTRA.

In hoc Castro doloris inane pheretrum seu Cenotaphium positum fuit, planè in medio: de quo postea fiet mentio: nunc de naui, vt vocant dicam cætera. Fuerat enim illud spatium ab vno choro ad alterũ totum atro pulloq; panno vestitum, idq; nõ solum cõtabulati parietes et columnæ templi vsq; fermè ad dodrantem vniuersæ altitudinis, nec solũ cuncta altaria & vetus chorus circumquaq;

cumquaqꝫ: verum etiam & ipsum vbiqꝫ in circũsepto eo spatio, quod nauim appellant, pauimentum, simili panno substratum erat. Assuta etiam, ad certa tamen & diuersa parietum interualla, depicta insignia defuncti Caroli Cæsaris visebantur. Imaginesqꝫ remotæ ab aris fuerunt, & albæ cruces illarũ loco, assutæ panno ei, quo et ipsæ aræ & columnæ pariter & vniuersi parietes vestiebantur totius circumsepti Palatij. Circumquaqꝫ autẽ ad omnes parietes cerei accensi continua serie dispositi fuerant, sic ut cereus à cereo distaret vno pede, aut paulo plus etiam. Cum vero alias eo in spatio, quod inter nouum chorũ, & castrum doloris fuit, esset altare, visum id erat satis ad peragenda harum exequiarum diuina opportunũ. Proinde cõstrata ea ara fuit holocerico panno, & loco imaginum crux è filis argenteis holocerico attexta habebatur.

Hactenus sanè de apparatu loci. Iam proximum est, de ipso exequiarum actu referre ea, quæ potissimum acciderunt: primumqꝫ de processione habita.

Quoniam autem quò hæc parentalia sa-

cra

cra solennius possent, decentiusque perfici, deputati eam ad rē fuerūt Episcopi quinque, Suffraganeus vnus, Abbates duodecim. Episcopi fuerunt Otto Truchses Cardinalis, Episcopus Augustanus, cui, tanquàm loci huius ordinario primæ partes peragendi sacri debebantur, præsuli aliâs rebus sacris peragendis mirè idoneo. Michael Archiepiscopus Saltzburgensis antistes certè, nulli secundus, siue pietatem, siue doctrinam spectes, ardensue studiũ religionis Catholicæ. Vtinā decē tales Germania. Ambrosius Episcopus Gurcēsis Cæsareæ Maiestatis aulicus Concionator, eloquentia & eruditione celeberrimus. Martinus Hercules Episcopus Lauantinus, doctrina insignis et industria, vt negotijs feliciter conficiendis natum possis dicere. Sequitur, quem ante nominasse oportuit, Georgius Drascouicius, Episcopus Quinqueecclesiensis, vicecancellarius Vngariæ, Cæsareæ Maiestati à secretioribus consilijs, vir vitæ sanctimonia, rerumque experientia, et oīs generis doctrina suspiciendus Suffraganeus huius loci Michael Dornfogel, æque theologus ex-

T cellens,

cellens, ac concionator disertus. Abbatum sanè primus, meritoq; principē locum occupauit, Georgius Campidonensis, princeps imperij et Pater egregius, deinde Iacobus Abbas S. Vlrichi, itemq; Leonardus S. Montis abbas, Casparus Abbas Ottenbairensis, Ludouicus Benedictbayrensis, Sebastianus Abbas Elchingensis, et reliqui: nomina enim, cum hæc scriberentur, non erant omnia ad manum.

Hi quidem Antistites & Prælati omnes ornatu & pontificalibus induti suis, die B. Mathiæ Apostoli circa horam primam se contulerunt in ædem S. Mauritij, quod id templū vicinum erat aulæ Imperatoriæ. Ad eandemq; ædē & reliquus clerus & monachi conuenerūt, suo quisq; ornatu indutus. Nec multo post incepta processio est hoc modo.

Principium processionis inchoauerunt tres nobiles, aulici Reuerendissimi Cardinalis Augustani, qui tanquàm antisignani ductores ante omnes ibant. Post istos continuò magna turba libitinariorum secuta est. Gestabat quidam Crucem cathedralis Augustanæ Ecclesiæ: quā mox alia-

rum

rum ecclesiarũ cruces binę in ordine seque-
bant. His subiũcti thutiferarij: quos schola-
stici pueri subsecuti, ex oĩbus enocati scho-
lis, suisq́ induti linteis vestibus: quorũ finẽ
sex lectores cathedralis Ecclesiæ claude-
bant. Hinc monachi procedebant, primum
Dominici, mox Bernhardini, deinde om-
nes vicarij, & continuò canonici & præ-
lati, Decanus S. Mauritij, Præpositus, S.
Georgij, Præpositus S. Crucis, Decanus
ad B. virginem Christophorus à Freiberg.
Qui palijs suis holicericis nigris amicti fue
runt omnes. A tergo horũ gestabatur crux
Cardinalitia. Et mox duo sacerdotes ibant
argenteis candelabris cereos duos portan-
tes. Quos duo sacerdotes sequebantur, al-
ter argenteum thuribulum gestans mag-
num, alter argenteum vas asperforiũ. Hinc
Abbates procedebant infulati, binis comi-
tati ministris, altero, qui ferebat pedum, al-
tero, qui demendæ infulę seruiebat, Eodem
modo in suo quis loco & ordine Episcopi.
Sed horum quisq́ cereum gestabat suum.

Hoc ordine spirituales personæ & cle-
rus ex æde S. Mauritij egressi, flexo paulu-

ſum itineri ad ſiniſtrũ latus Cæſareæ aulæ, procedebant eò vſq;, quoad ſeſe cõmodè obuertere, & prope ad ianuam Cæſarei palatij præterire, & Cæſar ipſe, cum ſecularibus perſonis, imperatorioq́; apparatu, proceſſionem cõtiunare poſſent. Quia enim ad idem hoc tempus iam in palatium Cæſaris conuenerãt, Archiepiſcopus Moguntinus, & Hiſpaniarum, & Poloniæ Regum oratores, itemq́; Carolus Archidux Auſtriæ, et Albertus dux Bauariæ, et reliquorum principum, cõmuniumq́; ſtatuum legati, & pſe ſenatus Auguſtanus, cũctaq́; aula Cæſarea. Ad idemq́; hoc tempus omnia in palatium Cæſaris congregata fuerant, vt vexilla, vt equi, vt reliqua ornamenta, & arma militaria.

Verum poſtea, quam Spiritualium proceſſionis finis ianuã Cæſarei palatij attigiſſet, ibi quaſi noua proceſſio ſecularium inſtituenda fuit, ſed ita, vt continuò hæc cum illa connecteretur. Quapropter mox è veſtigio Cardinalem et Archiepiſcopũ Saltzburgenſem, (hi enim ſpiritualiũ proceſſionem claudebant) primum pueri Sympho-

niaci

niaci ſecuti ſunt, & Phonaſci, ipſeꝗ; horum præfectus Petrus Maſſenus, & mox Cæſareæ Maieſtatis ſacellani, omnes habitu cōueniente ornati. Inde ſecuti ſunt præſides ſenatusꝗ; Ciuitatis Auguſtanæ, & reliquarum imperialium ciuitatū legati. Hinc continuò ſecretarij & ſcribæ Cæſarei, & poſt hos & Ducis Bauariæ, & Caroli Archiducis & Imperatoris pueri nobiles vnà cum præfectis ſuis, & pædagogis. Inde principum, qui aderant, & Imperatoris aulica familia, præcipuiꝗ; conſiliarij, vt Ludouicus Schradin, et Doctor Schober, et alij. Archiepiſcopi Saltzburgenſis cancellarius Sebaſtianus Hofflinger, Eraſmus à Kienberg frater iſtius Præſulis, Georgius à Thurn, Vvlfgangus Haunsberger: Ducisꝗ; Alberti conſiliarij, vuiguleus Hund, & Ioannes Zanger, antiquæ nobilitatis Bauaricæ lumina, et Onoffrius Berbinger uir fide doctrinaꝗ; præſtans, & alij cōplures: itemꝗ; Cæſareæ Maieſtatis cōmunes officiarij, dapiferi, pocillatores, & ſimiles. Confeſtimꝗ; iuniores barones & comites. Sed omnes pullati & in ordine terni ſemper. Huic ſpa-

tio inserti tubicines Cæsarei fuerũt, imis tubarum partibus sursum obuersis, vexillisq; citra brachium dependentibus.

Directores verò ex parte secularis status; videlicet vt processio ritè fieret, vel ne quid etiã perperàm eueniret in tẽplo, supremus aulæ Marschalcus Ioannes Trautsam Baro summæ authoritatis vir, nec minus sapiẽtia, quàm genere illustris & opibus: Bernhardinus de Monesis Baro, Cæsareæ Maiestatis cubicularius: Georgius Ilsing antiqua familia ortus, Prætor in vtraq; Sueuia, literis & virtute clarissimus. His adiuncti fuerunt auxiliares, Gabriel Strein Baro, Adam Schencken, Marquardus à Stain, Hãman Truchses Baro, Iacobus Kun, Iohannes de Vvelsperg.

Post omnia ista & vexilla regalia, & equi, cæteraq; insignia secuta sunt hoc ordine.

Illico post tubicines, duo caduciatores, qui Heroldi dicuntur, alter Bohemico fœciali vestitu insignis, alter Vngarico. Hinc vexillum & equus Burgundici regni symbola; illud gestabat Dominus de Perlamonte

monte, equum Cõradus à Freiberg & conradus iunior à Bemmelberg ducebant. Hinc vexillum Austriacum, quod ventis expãsum gestauit Dietmar de Losenstain, equus ad Austrianum signũ pertinens, ductus est à Iodoco Iosepho Barone de Turre, & Ferdinando Helfreich de Meckhaw. Hinc Toletani regni vexillum & equus, illud gestauit Georgius à Fronsperg, hunc duxerunt Sebastianus Lischcower & Michael Vvelden. Hinc secutus Ioachimus Comes de Furstenberg gestans vexillum regni Granati, & equus ductus à Ioanne Rechberg, et Marquardo de Stain seniori. Hinc Vvolfgãgus Dietrich Comes de Harдeck gestauit vexillũ Siculi regni, & equũ Ioan. de Vvartenberg Baro Bohemicus, & Ioannes de Landaw duxerunt. Hinc regni Neapolitani vexillum gestauit Ioachimus Schlick Comes, Bohemicæ cameræ præses, equum duxerunt Georgius Spæten, & Georgius Ludouicus de Sausheim, vterq; Cæsari à consilijs. Hinc vexillum Arragonij Regni gestatum ab Henrico Comite de Furstenberg, & equus ductus ab Eber-

hardo

hardo à Freiberg , & Ioanne Philippo Schad de Mittelbiberach. Hinc vexillum Regni Leonensis gestatum à Petro Fock, qui ex præcipua Bohemicorum Baronum de Rosenberg familia est, vir insignis, & equum Ioachimus à Lemnitz & Caspar Baro de VVolckenstain duxerunt. Denique gestabatur regni Castiliēsis vexillum à Ludouico Comite de Leonstain, equus vero ductus à Friderico Hofman Barone, & VVolffgango Vvilhelmo de Mechselrain Barone Bauarico. Post hæc omnia conspiciebantur duo imperatoria vexilla: quorum alterum campestre vexillū Germaniæ est, Imperiali aquila insignitū, quod gestabatur ab Vlricho Comite de Montfort, & equus, qui ad id vexillū pertinebat, ductus à Felice Comite de Lodron, & Vvilhelmo de Grauenegg Barone. Vltimo loco maximum illud Romani Imperij vexillū aquila imperiali conspicuum, portabatur à Friderico Comite ab Ottingē. Et quoniam tantæ molis id signum fuit, vt ab vno nequaquam potuerit sustineri, adiuncti socij sunt Georgius de Spaur Baro, et Ioannes Haubitz de

Piscowitz,

Piscowitz, et Petrus Keglowitz Baro Croata vir iuuenis, sed tanta corporis proceritate, vt omnem bene magni viri staturam iusto cubito superet. Nec in tanta corporis magnitudine quicquam est, quod non neruosum, & non optimæ compagis exprimat proportionem pulcherrimè. Huc accedit animus æque generosus, ac corpus robustum, literarumꝙ et pietatis præclara commendatio. Quæ dotes raræ in tantis viris solent concurrere. Equum vero, qui magno huic vexillo assignatus fuit, duxerunt Sigismundus de Hornstain prouincialis Dominus, & Venceslaus Has de Hasenberg. Funebris equus Caroli Cæsaris solus absꝙ vexillo, ꝙ eo ipse Cæsar defunctus, quasi vsus intelligeretur, ductus fuit à Ferdinãdo Comite de Orttenburg, & Henrico Erbtruchses de Vvalburg. Hi equi omnes nigro holocerico cõfestiti fuerunt per corpus totum, vsꝙ ad vngulas etiam, & in vtroꝙ latere et pectore cuiuslibet equi insignia eius regni, cuius vexillum esse constabat, aureis filis & argenteis contexta conspiciebantur. Capita vero & caudæ pennis strutiaceis

pulcherrimè

pulcherrimè ornata. Equus autem is, qui ad maximum illud Rom. Imperij vexillum pertinebat, aureo panno aureisq; ephippijs coopertus fuit, habuitq; in pectore & in vtroq; latere Aquilam imperialem, additis plumis illis equestribus, vt moris est. Lugubris equus Caroli Cæsaris tametsi & hic nigro holoserico vndiq; coopertus fuit, non tamen clypeum, nec insigne vllum gerebat, nisi rubram Burgundicam crucem ex Carmosino panno intertextum.

Illis vero, quæ iam dicta sunt, ita procedentibus, secuta sunt ornamenta imperialia, primum aurea galea, cui diadema imperatorium impositũ fuit, et ingẽs pluma struciacea à tergo dependens. Eamq; galeam Sigismundus Comes de Arch portabat. Quem VVlfgangus Comes ab Ottingen et Iarislaus Bernstain præpotens Baro Bohemicus, secuti, gestabant rotundã auro argentoq; intertextam peltã Cæsaris. Chlamydẽ vero imperatoriam, quæ aureis filis contexta fuit, Reinhardus Comes à Solms in aureo scipione portabat. Ensem vero eum, quo Cæsar armatus vti consueuit, in

vagina

vagina holocerica reconditum, sed mucrone in terram verso, habebat Henricus dux Lignicensis, princeps iuuenis & egregius. Aureum Romani imperij sceptrum gerebat Carolus Comes de Zollern hæreditarius Imperij Camerarius, et Maiestatis Cæsariæ Præses consilij: aureum imperij pomum Iacobus de Seldeneg. Diadema autẽ illud Romani Imperatoris proprium, gemmis unionibusq; incomparabili pretio æstimatis exornatum gessit Ioachimus Baro de Neuhaus, Bohemici regni supremus Cancellarius, vir & ingenio & prudentia admirabilis.

Posthac multi Electorũ, præcipuorumq; principum, qui ad hæc Comitia vocati fuerant, consiliarij atq; legati, omnes funebri, vt decebat, vestitu, sequebãtur. Ibiq; mox duo Caduceatores imperiales ibant & ante hos stricto gladio imperij Marschalcus. Atq; hinc demũ ipse Imperator Ferdinandus lugubri veste et pileo coopertus, pedes incedebat. Sed officij causa, paulo longius circũfusi ibant optimates, propter eximias virtutes prudentiamq;, principes consilio-

rũ Ioannes Trautſam Marſchalcus. Leonardus ab Harrach, Martinus Guſman, itemq́ Antonius et Ioannes Iacobus Fuggeri, viri omnes illuſtri loco nati, præpotẽtesq́ Barones. Itemq́ Georgius Sigiſmũdus Seldius, vir magnus et theſaurus naturę, vicecancellarius, & Ioannes Vlrichus Zaſius induſtria ſua et patris gloria clariſſimus, Cancellarius Alſatiæ, itemq́ Georgius Meel vicecancellarius Bohemitæ, doctrina & virtute nobilis. Tum et hi, qui theſaurorum præfecti ſunt, Eraſmus à Gera, Melchior ab Huberg, & alij nonnulli, quos non minus oportuit, quàm cæteros nominaſſe honoris cauſa, ſi cuncta conſcribi potuiſſent. Cæſarẽ verò è veſtigio ſecutus eſt Philippi Regis legatus Comes de Luna, & ad huius ſiniſtram Archidux Carolus, deinde Auguſti regis Poloniæ Orator Martinus Cromerus vir clariſſimus, & Albertus Illuſtriſſimus Dux Bauarię, princeps Catholicus planeq́ nunc murus Iſràel. Hi tanquam Cæſaris agnati proximiores, iunctim ibant omnes quatuor. Quos ſecutus eſt Archiepiſcopus Moguntinus Elector, comitatus re-

liquorum

iquorum spiritualium Electorum legatis. Hinc aliquot Cæsarei cõsiliarij ibãt Casper Logus præpositus, et Caspar de Vels Baro, præfectus velitum Cæsaris, quorũ ad quinquaginta subsequentes, processionem vniuersam claudebant. Quanq̃ postea etiam magna turba seruitorum puerorumq̃ secuta, promiscuè & globatim obambulabant.

Ducenti autem pauperes funebri, atro, cucullatoq̃ vestitu induti, suam quisq̃ tenens ceream facem, cui insignia Imperatoria alligata appendebant, producebantur: sed hoc ordine, vt vtriusq̃ processionis latus, paululũ à strata ꝓcessionis via vtrinq̃ submoti, maximeq̃ circa Cæsaream Maiestatem sigillatim procedendo clauderent. Erant etiam ad latera passim Cæsarei satellites dispositi, inspectores, nequid inter procedendum inordinati committeretur. Curauerat autem Senatus Augustanus à palatio Imperatoris vsq̃ ad templum B. virginis asseribus plateam consterni, vt processioni via esset quasi septa ac facilis.

Postea vero ad templum, quam venisset processio, ibi totus clerus (excepti episco-

pis & prælatis) & capella Cæsaris, nobiles〈que〉 pueri, vbi templum ingressi essent, sinistrorsum diuertentes ad veteris chori cornu, in nauim per designatã ianuam (quàm Cæsarei satellites, ne vulgus irrueret, custodiebant) intrauerunt: sed mox diuisi, sacerdotes præcipui ad sinistrũ latus Castri apud altare substiterunt, scholastici autem pueri, communes〈que〉 sacerdotes se contulerunt in nouum chorum. Capella autem Cæsaris ascendit eam noui chori partem, quam Cancellos appellant. Pauperes vero cucullati Ceroferarij in nauim quo〈que〉 introducti, ad latera eius circumqua〈que〉 continua serie dispositi fuerunt. Pueri nobiles circa altare remanserunt, vbi aliàs seruire solent. Reliqua autem multitudo, vt Senatus Augustanus, legati Ciuitatum, aularum〈que〉 familiæ, omnes iussi sunt antiquum chorum cõscendere. Sed tubicines, qui hos sequebantur, collocati ad gradus chori veteris è regione Castri doloris stabant.

Cum porro duo Heroldi, Vngaricus & Bohemicus intrassent, equi, vs〈que〉 ad valuas templi ducti, non tamen introducti, sed ser-

uis

nis, ad ſtabula vt reducerentur, dati ſunt: ipſi ductores ibant in templum. Vexilla autem & arma militaria defuncti Cæſaris in nauim intulerunt deſignatæ perſonæ, & à tergo Caſtri, terni vno ſtantes ordine, illa tenebant, et quo quæ potiora, eo poſteriora magis: armaq; militaria ſecundo loco, vltimo imperatoria ornamenta cernebantur. Cæſar vero ipſemet cum valuas templi introiſſet, mox ſub ingreſſum ſtabant Cardinalis, Archiepiſcopus Saltzburgenſis, cæteriq; Epiſcopi & Prælati cum ſuis ſubminiſtrantibus. Ibi Cardinalis, facta, de more, benedictione, Cæſarem luſtrali aqua aſperſit, iuitq; continuò vnà cum aſtantibus & prælatis in nauim, & ad ſua quiſq; ſubſellia, quæ ab anteriori parte Caſtri doloris erant atro panno conſtrata. Cæſar pergebat cum ſuis in eandem nauim, & cum intraſſet, tum vexilliferi, & armigeri, & qui ornamenta imperialia ferebāt, flexis, more aulico, poplitibus, aduerſus altare in orientem, mox, tergo abuerſo, idem fecerunt intranti Cæſari. Simulq; progreſſi vexillorū ſex ante Caſtrum doloris, terna ad vtrumq;

latus

latus nauis posuerunt ; totidemq́ à tergo eiusdem Castri, & terna ad vtrumq́ latus; sicut supra: è quibus tamen vltima duo, scilicet vexillum Germaniæ in sinistro, et vexillũ Imperij in dextro angulo ad chorum antiquum cõstituebantur. Ad frontem Castri suspensa sunt militaria arma, chlamys, pelta, galea. Ornamenta autem imperatoria super cenotaphio defuncti Cæsaris, q̊d fuit in Castro doloris, collocata sunt, aureũ pomum in medio, et in huius dextera parte gladius, in sinistra sceptrũ : ipsum vero Imperatorium diadema ad caput cenotaphij in puluino ponebatur. Fuitq́ hoc cenotaphium bifariàm coopertum, primum nigro holocerico, cui insuta fuit argentea crux alba, deniceps textili aureo panno, cui insuper intexta ex argenteo panno crux alba fuit. In pauimentum vsq́, satis latè diffusa dependebant hæc stragula.

Interea Cæsar vnà cum suis antiquum chorum conscendit. Fuit autem is hoc modo instructus. Quia enim humilius aliquanto erat pauimentum eius chori, quàm vt decenter ad podium eius stare Cæsar & prospectare

prospectare in nauim posset: alleuatum est igitur, quasi sublicio ponte suffultum, subsellijsq; insuper ad ordinarias sessiones discriminatum. Cæsaris subsellium ad dextram erat, præ reliquis nonnihil sublimius: à quo (sed spatio interiecto, in eodem latere tamen) stabat Daniel Archiepiscopus Moguntinus Elector, & reliquorũ Electorum legati: & continuo (verũ paulo etiam loco humiliori) erant aliorum legati principũ. In opposito latere sinistro, in suis subsellijs stabant Vvilhelmus Erbtruchses nomine domus Austrianæ, et Ludouicus Electus Tridẽtinus, & item alij legati spiritualium principum. Inter vtrumq; vero latus in medio pauimento passibus tribus à podio eius chori subsellia erant, & pulpita effecta: in quibus constiterunt Conlugentes, Cæsari proximiores, Comes de Luna loco Regis Philippi, Archidux Carolus, vt filius, Martinus Cromerus loco Augusti Regis Poloniæ, Albertus Dux Bauariæ, vt agnatus & gener. Subsellia oĩa, similiterq; et pauimentũ, et parietes huius antiqui chori, optimo panno constrata, tectaq; fuerunt.

X Cerei

Cerei autē tam super Castro doloris, quàm in parietibus oēs paulo ante accensi erant, quàm processio intraret templum.

His rebus eo, quo diximus, ordine, peractis, parentandi initium fecit Cardinalis, & ex huius præscripta lege cæteri omnes.

Funebres vespertinæ preces primū cantatæ sunt, postea vigiliæ parentales, & inter has habitæ lectiones nouē, quæ ab Episcopis & Prælatis recitatæ sunt. Durauitq; hic diuinus cultus ad horam sextam, concrematis interea cereis 1500. Finito autem hoc diuino cultu, descendit cū suis Cæsar, et in naui ad gradus substitit. Accessitq; Cardinalis & reliqui Episcopi & Prælati, &, facta benedictione, lustrali aqua aspersus Cæsar à Cardinale, templo exibat, & equo insidens in palatiū suum reuersus est, & ante eum Heroldi atq; absentium secularium Electorū legati, proximeq; imperij Marschalcus cum stricto gladio: post eum quatuor Conlugentes, et mox ipse Moguntinus, & legati absentium Electorum spiritualium, omnes hi equitantes, Cæsarem ad palatium suum deduxerunt.

Vexilla

Vexilla & arma defuncti Cæsaris, ornamentaque imperialia in templo relicta sunt, & nocturnis custodita vigilijs in diem crastinum.

Eo, qui secutus est, die, in æde B. virginis Cardinalis, & Archiepiscopus Saltzburgensis, cæterique Episcopi & Prælati omnes mane conuenerunt, suisque induti pontificalibus, cuncta parabant ad peragenda exequiarum sacra, necessaria. Interea & principes, qui præsentes in Comitijs, & legati eorum, qui aberant, mane ante sextam horam in palatio Cæsaris congregati, iterum Cæsarem eo modo, quo pridie reduxerant, in templũ deduxerunt. In vestibulo autem templi, sicut vesperi factũ fuerat, Cæsarem benedictione exceperant, & aqua lustrali, Cardinalis et Saltzburgensis & Clerus reliquus. Quo peracto, in sessionẽ suam Prælati, in sua subsellia Cæsar, & principes, & legati abiuerunt.

Inde parentalia iusta auspicatus est Cardinalis: ipsemet enim sacrificium pro defuncto Cæsare celebrauit: Epistolam legit Abbas Vrsinius, Euangelium cãtauit Ca-

ſpar Abbas Vttenburanus. Deinde Ludouicus Madrutius electus Tridentinus, præſul ætate quidē iuuenis, doctrina autem ſtudioq́ philoſophiæ ſenilem adeptus prudentiam, in antiqui chori ſeptētrionali parte ad gradus ſuggeſtum cōſcendit, qui paululū reliquo pauimēto editior fuit, habuitq́ memoriter eam, quæ ſequitur, funebrē orationem.

ORATIO FVNEBRIS.

QVamuis multa ſint, quę animū meum triſti quadam rerum varietate huc illuc diſtrahunt, ac mentē ipſam languidam inſolitus propè mœror in diuerſa rapit, ut tāto huic oneri ſatisfacere me poſſe planè diffidam. Cum ingens dolor quidā tam mihi aſſiduus ante oculos obuerſatur, intimiſq́ præcordijs hæret, vt quid potiſſimū dicam, ignorem. Tum huius tanti loci dignitas, ac mœſtus quidam fulgor oculorum, animiq́ aciem ita perſtringunt, vt horrore quodam correptus hebeti, ac titubante lingua principium propè nullum mœſtæ huic narrationi

ni inueniam. Si enim hos apparatus ad declarandam interiorem animi ægritudinem maximè accommodatos circumſpicio, differor penè dolore, et ipſa verba hærent faucibus. At huius celeberrimi conſeſſus mœſta quædam Maieſtatis facies tantæ me calamitatis admonet, vt ab inſtituto orationis curſu ad lachrymas denuò recidam.

Tuum tamen, FERDINANDE CÆSAR, Imperium exigit, vt paulo cohibitis lachrymis, ac iuſto dolore ſuppreſſo, tanto planè impar congreſſui vaſtum hoc orationis pelagus ingrediar. Facio hoc quidem inuitus, cum in mentem venit, me, qui hunc dicendi locũ nunq̃ antehac attigerim, nulla prorſus exercitatione, nulla adiutum eloquentia nunc demum huc aſcendiſſe, vt ipſo coràm Cæſare, in tanta hac Germaniæ, imò orbis luce maximi, nec ſatis vnq̃ laudati IMPERATORIS geſta recenſerem. At reficit me tam Inuicti Cæſaris præſentia, & infracta animi ſui fortitudo, illius monitis & iuſſu inexercitatus & iuuenis me tantorum virorum iudicijs lubenter ſubijcio, & præterq̃, quod meæ vires ferunt, tantum hoc

onus suscipio. Esset enim piaculi loco, illi non parere, cui nephas est nõ obsequi, meq; etiam præclarissimorum Imperij ordinum perspecta humanitas, & enixè hortatur, & magnopere etiam consolatur. Quare quæ duo à me expectari sentio, agam breuissimè. Vnũ est, vt publici huius mœroris causas exprimam, et tanti vos porrò luctus admoneam. Alterum, vt gestarum rerum seriem strictim persequar: in qua tanti Cæsaris laudes non fucatis, aut longè accitis argumentis, sed verissimis ac certissimis testimonijs comprobantur: ad quam ego me orationis partem conferam. Quid enim huius tanti mœroris causas persequar, cum nemini planè incognitas ipsemet calamitas reliquerit? Neq; video cur vos doloris admoneam, cum apud ipsum etiam luctum nil plus reliquum sit, quo animi magis ægritudo & mœror significetur. Neque enim in hac tanta rerũ varietate quicq; video, quod me summi maximiq; doloris nõ admoneat, nedum inter vos, quorum oculi, ora, gestus deniquè omnes nil nisi mœstum, nil nisi triste denotant. Sed illud augustũ pheretrum,

illa

illa circum posita lumina, illa circumerecta trophæa, deuictarumque bello gentiũ tituli, illa tot hostibus erepta signa tanti publici luctus faciem præseferunt, vt si quis ab extremis vsquè Garamantibus, vel ab vltimis Indiæ oris aduectus hunc locum intueretur, his signis, istis indicijs communẽ hanc iacturam, ac publicum omnium dolorem agnoscens, in verissimas & ipse lachrimas prorumperet. Quis enim quæso, Christiani Imperij Rectorem, siccis oculis lachrimantem videre sustineret? Quis totius Imperij præclarissimorum ordinum mœrorem, ac omnium ferè gentium, & populorum gemitus sine maxima animi perturbatione ferret? Quis Sacri prophanique ordinis querelas absquè ingenti quodam luctu perciperet? Et cum nullus hic sexus, nulla ætas tanti sit doloris immunis, iunctis animis ereptũ Heroa flete. En vide, vt fracto abiectoquè animo tanti Cæsaris iacturam Germania sustinet. En summi Imperij maiestas vt præter dignitatem CORONA ac SCEPTRO abiecto, suos sibi laniat capillos, decorasquè genas vnguibus notat. Aspicite Ita-

liam,

liam quæ quondam eadem illa sceptra gessit, vt mœstis implet cœlum clamoribus. Nunc flete Hispani. Vestræ enim Hispaniæ hic decor iacet. Quam decet vos Indos flere. Siquidē, hoc Cæsare adnitente, pulcherrimo huic nostro orbi estis adiecti: humanitate, studijs ac artibus donati: ac veræ Religioni Christique Ecclesiæ inserti. Vos flete Aphri. Hic enim ille iacet, qui suis periculis ac laboribus, excusso Barbarorū Regum iugo, à dura seruitute in dulcem vos libertatem vindicauit. Agè verò quòd nec ipse Gallus hostis lachrimas cohibet. Vestras Belgæ lachrimas consultò prætereo, ne sim plus æquo longus in re iam omnibus nota. Heu atra dies quæ venerabile Bustum efferri vidit, vt calamitatis, quam vniuerso orbi attulit, nulla posthac ætas obliuiscatur: dies atra, dies luctuosa ad multos annos lachrimis semper excipienda. Illa mihi credite, quicquid habuimus decoris, quicquid lætitiæ, quicquid præsidij, abstulit. Hos illa luctus, hos gemitus, hæc illa suspiria exprimit. Illa inquam dies, quæ TER MAXIMVM CAROLVM efferri vidit, CAROLVM inquam

Romani

Romani quondam Imperij rectorem, Qui per omnes honorum gradus perpetua ſerie ad ſummum dignitatis & laudis faſtigium peruenit, in quo tunc primum Regia effuſit indoles vtraq; ſtirpe digniſſima. Paternum namq; ortum habuit ex illa maximorum virorum fœcundiſſima radice inclytæ Auſtriacæ domus. Maternum porrò traxit à Ferdinando Hiſpaniarum Rege: qui ob orthodoxæ fidei amorem Catholici nomen promeruit: qui primus Hiſpanias Maurorum peſte liberauit, neq; abſq; infallibili diuinæ ꝓuidentiæ diſpoſitione. Cum enim Chriſtianus orbis hinc inde conflictaretur, ab ortu ſæuis Turcarum armis, ab occaſu porrò Saracenorum incurſionibus: noſtris temporibus fœliciſſime ſtirpes iunctæ, quarum propagines iam diu ingruentem illam vim hinc inde fortiſſimis pectoribus excœperant cõmunicatis viribus, ac cœleſtibus influxibus ſimul cõmixtis, agitatæ, ac feſſæ religionis fortiſſimos ac inuictos propugnatores, ſæuorumq; monſtrorũ nouos domitores edidere. PHILIPPO itaq; Auſtriaco, & IOHANNA huius Ferdinandi & Iſabel-

læ filia, vt essent qui Christiani nominis hostes contunderent, ac reprimerent, nati sunt CAROLVS et FERDINANDVS, quorum ortus salus Christianæ Reipublicę fuit. Verũ lugubris hic sermo de CAROLO est habendus, cuius gestarum rerum longa series tam amplam de se dicendi materiam præbet, vt si mihi sint ora centum, totidemq; linguæ singula me recensere posse haud quaq; ausim polliceri. Qui cum turbulentissimis temporibus quasi singulari Dei miserentis beneficio terris largitus esset, vt ruentẽ iam Christianam Rempub. ac sub iniqui temporis iniuriarum pondere fatiscentem fulciret ac sustineret, vix impubertatis annos egressus summi imperij habenas moderandas excepit. Mortuo siquidem MAXIMILIANO auo, cum Romanum Imperium varijs procellarũ motibus instar nauis, p̃side à clauo deiecto, agitaretur, iuuenis ingẽtis spiritus inter Imperij candidatos nomẽ suum ꝑferre minime dubitauit. Illum ipsum cæterarum dignitatum apicem ambiebat Franciscus Gallorum Rex iuuenis, opibus florens, & Germaniæ propinquus: qui summorum virorum

rorum

rorum fauore innixus in hanc arenam de-
ſcendebat. Hoc primum inter Chriſtiani
orbis facilè tunc primos Reges laudis ac
dignitatis certamē fuit, quod maximis par-
tium ſtudijs inchoatum, illum habuit finem,
vt CAROLVS repulſo riuale, à totius Germa-
niæ proceribus IMPERATOR renunciaretur.
Hic aditus æternæ laudis CAROLO eſt reſe-
ratus, hoc Imperij initiū, quo nec ſol maius
aut geſtarum rerum magnitudine præcla-
rius vidit. Nunc mihi immenſum narratio-
nis campum, in quo ſummus quiſq; orator,
maxima cum CAROLI laude, diſcurrere poſ-
ſet, propoſitum video. Verum cum ego nec
ingenio nec eloquentia multum polleam,
quæ nō vulgaria ad hanc ſuſtinendam per-
ſonam requirūtur, quid dicā ignoro, occur-
runt enim præclariſſimorū geſtorum ima-
gines, quæ ſeſe mihi vltro offerunt, vt ſi ini-
tium inueniam quidem, at finem inuentu-
rum me certè diffidam. Verū nec illa opus
eſſet geſta recenſere, quòd verendum ſit
æternitate caritura: quum nihil vnq; geſſe-
rit, quod à vera perpetuaq; laude ſeiungi
merito poſſit. Quid ego porrò tantillus di-

 cam-

cam? Quid afferre potero, quod ſit nedum mediocre, ſed nec humile, ſed nec exile, ſi ad eius facta cōpares? Verum nec omnino tacebo, ſed aliqua ſummatim ac ſtrictim ſuggeram. Vos qui interfuiſtis, qui inuicta arma tractantem vidiſtis, qui pacis habenas moderantem conſpexiſtis, illum mentis luminibus proponite, illum animo recolite, ac dum ipſius geſta tranſcurro, vos cogitatione cuncta perpendite.

CAROLO Imperatore renunciato, Chriſtianus orbis in maximā ſpem erectus, immanē illum Chriſti nominis hoſtē Turcam, ad ſummam vaſtitatē, maximo Chriſtianorum dedecore & incommodo, Hungaria redacta, iam ſœuis armis Germaniæ imminentē: haud quaꝗ pertimeſcebat, inueterata erat hominum opinio, fatale eſſe, vt hæc Auſtriaca ſtirps Othomanorū potentiam contunderet, ac prorſus deleret. At vt videre tot regnis auctam, & ſumma omnium lætitia inſertā Hiſpaniarum Regum familiæ, cuius virtute Saracenorum incurſiones fuerant repreſſæ, et Chriſtiana ſigna Aphricanis littoribus inuecta, tantam animo

mo conceperant de CAROLO opinionem, vt illum exitio infidelibus omnibus natũ certò crederent, illudq; tẽpus adesse putarent, Cum tot seculis, Christianorum damno & ruina, aucta Othomanorũ potentia, tandẽ prosterneretur. Quod procul dubio CAROLVS hic præstitisset, ni perpetuus ille laudis suæ æmulus in Subalpinã Galliam ingentibus copijs se effudisset, Hic incæpere bella illa Christianæ Reipublicæ longè damnosissima, cum arma quæ communi consensu in publicũ Christiani nominis hostem conuerti debuerant, in propria viscera verterentur: illaquè Christianorum potentia formidanda hosti, proprijs cladibus, cum ciuis caderet manu, imminueretur. Heu execranda discordia. Heu Regum pestis inuidia, qua corruunt firma quæq;. Te ne quisq; potuisse credat tantum Christianis pectoribus virus obfundere, vt mentes liuido dente sauciat, nec religionis amore, nec ciuium pietate flecterentur? sed actæ quodamodo furore impijs armis in proprios artus sæuirent? Verum cum gallus Cæsaris copias in angustum redegisset locum, ac

 Ticinum

Ticinum, vrbem togatæ Galliæ longè antiquissimam, circumuallasset, Cæsarianorum ducum vigilantia et fortitudine, militumq; promptitudine, & pugnandi ardore est factum, vt ille cunctæ Italiæ timendus exercitus ab exiguis copijs profligaretur: ipse Rex viuus in Cæsaris potestatem veniret. Magnum victoriarum suarũ initium, quarum numero & celebritate cunctos facile Reges vicit. Capto Gallo ac in Hispanias auecto, Cæsaris exercitus, Romanæ vrbi, haud irrito conatu, arma intulit, Cæsare nedum conniuente, sed planè inscio, ipsomet Clemente teste: qui iam liber dimissus omnes CAROLO iniurias facile condonauit. Restituto Pontifice, ac Lotrechij exercitu in Neapolitano agro, peste & ferro consumpto, pacata omnia videbantur. Cum CAROLVS, vt Imperij diadema de more susciperet, enauigato mari, ad Italicum littus cunctis expectatus aduenit. Obfuderat se ei obuiam Italia tota, & principum certatim confluentium maximis officijs exceptus est. Eminebat in CAROLO Maiestas quædam iuuẽtæ flore ornata, quæ omnium ani-

mos, occulto quodam amoris affectu, ad ſeſe alliciebat: cui rerum geſtarum gloria, illaq; Herculis ſigna tranſgreſſa, tantũ ſplendoris adferebant, vt omnium ora in ſe conuerteret. Bononiam tandem peruenit, ibiq; imperij ſacram Thiarã ſuſcepit. Multa hic dicenda eſſent, quæ cum CAROLI laude coniuncta ſunt, ſed video temporis breuitate ita narrationis ſeriem circumſcribi, vt multa et magna ſint prætermittenda. Itaq; ſi ſolennem illam pompam, ſi Italiæ cunctæ optatiſſimum illud ſpectaculum prætercurro, totum temporis breuitati tribuite. Magna ſunt quæ porro reſtant, quorum me ſplendor & magnitudo ad ſeſe alliciunt. Hoc vero non prætermittam, CAROLVM vix ſemeſtri ſpatio, ſedatis rebus, Italiam in ſummam tranquillitatem, ac inſperatam quietem, ex maximis bellorum motibus et continua vexatione conſtituiſſe.

Mediolanenſe imperium, quod longa ducum & militum pertinacia vix in poteſtatem redegerat, Franciſco Sfortiæ, ad rarum liberalitatis exemplum, tribuit: Italiæ Regulos diffidentes compoſuit: Ianuenſi-

bus

bus antiquam libertatem restituit: Venetis, præcisis bellorum causis, stabilem ac æternam pacem peperit: & iam Florentia, quæ se semper Cæsaribus opposuerat, longa obsidione recepta, Medicea domo restituta, illud aureum seculum, quod aliquando sub Iano Saturnone floruisse creditur, reuixisse putares. Italia pacata, Germaniam inuisit, cuius iã ceruicibus hostis ille perennis Turca impendebat. Fama erat Solymanum innumeris copijs, exhausto viris oriente, & quasi sedibus excita Asia, Bossinæ fines attigisse, ac rectà Vviennã tendere, vt illud Christiani nominis propugnaculum totis viribus denuo aggrederetur. Iam totã ferè Germaniam inuaserat horror, cũ CAROLVS quasi ex insperatò adfulsit, sua præsentia cunctorũ animos ad certam victoriæ spem erigens. Mirum, me hercule, dictu est, quæ ipsius aduentu animorũ commutatio factà fuerit, cum qui paulo ante ad famã aduentus immanissimi hostis, vt quam procul certam perniciem, & miserandam captiuitatem declinarent, lares, ac proprios penates reliquerant, resumpto animi vigore, arrep-

tis

tis armis, intrepidè in hostem ferrentur? Excepit illum tunc primum superior Germania faustis acclamationibus, in quo facile fulgebat PHILIPPI patris probitas, MAXIMILIANI aui bellicus vigor, FRIDERICI atavi animi celsitudo, quorum memoria adhuc recens hunc ipsum Carolum ita reddebat omnibus gratum, ita charum, vt pro ipso parati ad proijciendas animas viderentur. Tribuit aliquot ille dies ad componendos dissidentium principum animos, & ad tollenda dissidia. Indicta demũ profectione ad Hungaricum bellum, totum se contulit, collecto exercitu, ac vndiq; auxilijs excitis hosti obuiam proficiscitur. Qui vt in conspectũ est datus, immensam planiciẽ equis ac viris occupans, militibus non parum timoris incusserat, tum inconditus ille clamor, & Cæsariano militi antehac non visa arma, sæuaq; Barbarorum ora cunctorum animos formidine oppleuerant, cũ inuicti fratres hinc inde transcurrentes alacri vultu, & spe plena oratione, cũctorum animos erigebant, vt iam ipsorum præsentia depulso metu minime dubijs mẽtibus victoriam

 concipe-

conciperent, etiam nec fluuius ipse, qui castra dirimebat, nec Ducum imperium ad pugnam ruentium militum cursum cohibere poterant. Cum ipse hostis Solymanus, qui illa expeditione Germaniæ ruinam & exitium minabatur, ruptis metu pontibus, multis amissis, præcipiti fuga victrices manus euasit. Vidit tunc primum Germania illa inuicta tot seculis orientis arma toto itinere prostrata, ipseq; Danubius Turcarum cadaueribus oppletus, sanguineq; tinctus purpureis aquis manauit. Iam Solymanus Bossniæ, Rasciæq; fines prætergressus, illarum regionum incolis, qui Christi dogma adhuc profitentur, optatum præbuit spectaculum, viderant illum paucis ante diebus tanto apparatu, tantis copijs, tanta militari pompa illac Germaniam petentem transgredi, vt pio quodam affectu vererentur Christianum Imperium, ne primũ quidem impetum laturum. At vt rara admodum Othomanica signa videre, vt ipsum Solymanum adhuc pauentem suæ cladis testem ac nuncium conspexere, insperata lætitia ita ipsorũ mentes occupauerat, vt nec ocu-

lorum proprio sensui satis fiderent, certissimis demum argumentis, tota sublata dubitatione, iam iã victorem Cæsarem, qui duræ seruitutis iugum frangeret, aduenturum sperabant, totosq; dies vana spe miseros lactante, occidentẽ versus intuebantur, num optata Crux adfulgeret. Heu pia vota domestica inuidia præcidit. CAROLVS quidem, vt optimum decuit principem, veræq; Religionis amantem, gloriam ac immortalitatem nominis, nullibi libentius quæsiuisset, q̃ hoc hoste deuicto, nec debitos Germaniæ triumphos, optimaq; orientis spolia militum præmia spreuisset: verum domestici æmuli inuidia factum est, vt ad defendendos suos fines inuitus retraheretur, ac partã iam victoriam manibus elabi pateretur, & præterq̃ statuerat, cum Christiani nominis Rege bella gerere cogeretur. Quæ ita semper inuitus suscepit, vt animi sui pietatem facilè denudaret, ita impigrè gessit, vt maximi bellatoris nomen vel ipsius hostis testimonio ferret. Longũ esset singula persequi. Multa ego prætercurro, multa prætermitto, neq; Christiana bella,

quorũ memoria animus mœrore afficitur libenter recenseo, cum non ignorem inuictum Cæsarẽ illis expeditionibus securitatẽ suis, non sibi laudem quæsiuisse. Sed video Germaniã cæterarũ ꝓuinciarum longe celeberrimã, ac summi Imperij dominam iterum cõsternato animo totã in lachrimas resolui. Flet illa alumnũ, cuius auspicijs florentissimis, qbusq; Monarchijs se poterat æquiparare, & si fata dedissent, vt execranda Christianorũ discordia pelleretur, cursusq; tantarum victoriarũ domestica inuidia, & ciuili scelere non interturbaretur. Iam ad Orientẽ signa Magni Alexandri, liberiq; Patris, vt ad occidentem Herculis nostris temporibus vidimus, prætergressus Germaniæ trophæa trans Indum & Gangem erexisset, ruptisq; Caucasi pilis, vbiq; CAROLI aras videres. Iustus quidẽ est dolor ereptæ gloriæ, at quas lachrimas? quæ suspiria? quos gemitus dabit infœlix Græcia, quæ terra mariquè vidit liberatrices Aquilas aduentantes, & ex propinquo salutem conspexit, incassumq; lætata, duriora semper vincula tulit. Non flet illa ereptam glo-

riam,

riam, sed salutem, non victorias, sed incolumitatem, nõ triumphos, sed libertatem extortam lachrimatur. Nil quidem ab ipsius CAROLI laude decedit, cũ voluisse omnibus constet, & pulso Solymano, innumerisq; copijs profligatis potuisse quoq; Christianus orbis viderit. Hiccine nõ flendus? Qui tandem modus, qui finis erit quærelis, si iusta dolori soluenda erunt? Sed narrationis cursus est prosequendus, vt cum tantorum gestorũ series fuerit enarrata, qualem amiserimus Cæsarem, & quibus sit lugendus modis, cognoscamus.

Vt Christianæ Reipub fluctus composuit, nouam exoptati belli materiam nactus Romana signa, post tot interualla tum demum Lybicis oris visa Tunetano littori infert. Iam Romani Imperij æmulã Carthaginem Arriadenus Barbarossa, expulso legitimo Rege, occupauerat. Qui cum maria vndiq; pyratica classe infestasset, terris tandem adiecerat oculos, ac Pyratæ exosus nomen cunctæ Aphricæ iugum parauerat. Neq; enim vno cõtentus Regno circumuicinos Reges dolo & vi antiquis sedibus

 expulerat:

expulerat: iamq; ipsi ferè timendus Cæsari Italicum littus classe regia verius, q̄ Pyratica depopulabatur: Hispanicisq; oris non leue damnum intulerat, et maius indies minabatur: cui occurrendũ ratus Cæsar exercitum optime instructum in Aphricanũ littus transportat, primoq; aduentu Goletam longè munitissimum Pyratarum receptaculum adortus expugnat, & classem munitæ fisam stationi Christianorũ littorum terrorem capit. Iisdem auspicijs exercitũ, qui ex infinita Arrabum, & Pœnorum multitudine cõstabat, delet, solaq; virtute, ac animi robore, quo plurimũ valuit, maximum bellum, & nostra ætate celeberrimum exigui temporis spatio confecit. At vnum adhuc fuit, quod CAROLO longè gratissimum accidit, quod cũ perenni pietatis laude coniunctum est, ingens erat Christianorũ captiuorũ numerus, qui punica Ergastula compleuerant, durã pluribus annis seruitutem perpessi: tunc vero, ne victoris Cæsaris beneficio fruerentur, cruciatibus & morti addicti: itaq; sæui, barbariq; Imperij ministri, faces, quibus captiui supellex preciosa,

vrbs

vrbs deniq; ipsa cōbureretur, parauerant, Cū CAROLVS illa celeritate, qua imparatos hostes sæpe oppressit, vrbem victoriæ suæ præmium impijs flāmis eripuit. Hic Aphricani meruit cognomen, in potestatē Aphricani Imperij capite redacto, hic seruatoris ac liberatoris appellationem, tot captiuis, nedum vinculis, sed Orci faucibus ereptis, omnium consensu adeptus est, qui sua clementia & liberalitate, parentibus, liberis, et coniugibus redditi hunc illum IMPERATOREM prædicabant, qui Christianis armis legitime vteretur, vt salutem, incolumitatem Christianæ Reipublicæ præstaret, quiq; nō domi vicinos Reges bello implicans, sed procul euaginato mari fidei hostium strage laudem & triumphos quæreret. Iam totam Aphricam Cæsar mente cōceperat & illac statuerat Asiæ ex propinquo arma inferre, quæ proculdubio CAROLI victoriarum fuisset campus, vidissetq; iterum Nilus victrices aquilas, cum fatali Christiana inuidia denuo ille victoriarū cursus fuerit præcisus. Itaq; compositis Aphricæ rebus, Regeq; legitimo restituto, & vectigali facto,

exercitum

exercitum in Italiam denuo traiecit. Vidit Romana vrbs in fœlicitate temporum longo interuallo omissos triumphos tum demũ agi, non illis antiquis, dũ maxime illud Imperium floreret, aut captiuorum numero, aut spolijs, hostiũq; exuuijs, aut belli magnifice gesti titulo inferiores, ibi præliorum simulachra, ibi captæ vrbis imago, ibi nauium longa rostra videbantur. Sed ipse CAROLVS longe speciosissimum præbuit Romanæ plebi spectaculum illo triumphali habitu preteruectus, cunctis priscorũ Ducum memoriam excitans.

Fuit Carolus miti & clementi ingenio, gloriæ, prætereaq;, quæ cum Religionis augmento ac publica commoditate esset coniecta, minime appetens, Ciuilis sanguinis ita parcus, vt vel grauissimas iniurias perferret potius, quàm cædibus vlscisceretur. At hostis pertinacia fregit ipsius institutũ. Accenderat eius animum haud facile irasci assuetum, ipse Solymanus triumpho Galli studio iam diu ereptus, tum extorta Aphrica illud animi vulnus innata leuitate penè obductum refricuerat. Itaq; vt iniurias vindicaret

caret ad Rhodanum vſq;, qui Galliam ferè mediam interlabitur, ſigna promouerat, nullibi auſo hoſte obuiam progredi, vt facile iudicent omnes, illum Regem nō bello laudem quærere, ſed partas iam victorias CAROLI manibus, non abſq; ſummo Chriſtianorum mœrore & damno extorquere, ne ad belli aleā, nominis gloria, ſed cœcæ inuidiæ ſtimulis excitari videretur. Sed ego domeſticas clades conſultò omittam. Quo enim quæſo alio nomine Chriſtiana bella nuncupabo? an quæſo aliud q̃ clades eſt, victoria ciuili cruore parta? Et quamuis CAROLVS ſuis victorijs maximam adhibuerit animi moderationem, ac ſummam clementiam, tamē bellum ipſum per ſe prouinciarum ruinam trahit, vt certè, inſigni innocentum calamitate Regum, diſcordia penſetur. Illa meminiſſe animus horret: Illa ego CAROLI laudibus non interponam, cum multa non tantum de militari diſciplina, qua antiquos omnes Duces facilè vicit, ſed de pacis quoq; artibus ſint porro dicenda. Bellone enim, an pace maior fuerit, ambigi non immeritò poteſt. Quan-

tumq́ in acie, inq́ sæui Martis opere, tantũ quoque toga, ciuiliq́ laude valuit, vt enim armis hostium vim repressit, vt laudem sibi suisq́ securitatẽ armatus peperit, sic ius sanctè ac inuiolatè custodiendo, sic improborum vim æquitate & iustitia reprimendo, castigando, hortando, laudando togatus summã tranquillitatem induxit. Ego vero non minori laude dignũ esse arbitror ciuilem pestem, discordiam, sæuosq́ animorũ morbos, cupiditatẽ, auaritiam, ambitionẽ, euellere, Remq́pub. his monstris purgatam præstare, q̃ armis ab externa iniuria tutam reddere. Cum non minora mala internis istis hostibus, q̃ aperta inimicorum vi, Reipublicæ impendant. Cum enim cõcordia, rerum publicarũ salus, nullo modo esse possit, vbi aut odia, aut auaritia, regnandiue effrena cupiditas grassentur, debet optimus princeps, qui in præcelsa legum mente versatur, summo studio & dexteritate pullulantes has pestes supprimere, sic vno postea cõcordi voluntatis vinculo animi colligantur, vt nulla prorsus vi disiungi amplius possint. Hoc ne p̃stiterit CAROLVS

scit

ſcit Germania tota, quam pluribus annis ita rexit, vt ſumma tranquillitas eſſet. Hoc ſcit Italia, q̃ ipſo præſente ita pacata, citòꝙ compoſita fuit, vt fœliciſſima tunc meritò nuncupari potuiſſet. Quàm rexit ille prudenter Hiſpaniã? quàm floruit illa prouincia, CAROLO ad Regni gubernacula ſedente? Eſt quodammodo à natura ita cõparatum, ut qui bello præſtant, raro pace ſint boni. Illi enim ſpiritus, ille animi vigor, qui ad conſtituendũ ſtrenuũ, & acrem ducẽ requiruntur, grauitatẽ, æquitatẽ, ac moderationẽ, cæteraſꝙ togæ virtutes exaſpernãtur. Iam ſuperiora ſecula ſummos et maximos viros habuere: quorum ſi mores & ſtudia recenſeas, inuenies præclariſſimos duces facilius Regna viciſſe, ꝙ gubernaſſe. Erunt alĳ qui ſumma prudentia rexere ſuos, quiꝙ pace fuerint maximi, bellorum tamen fortunam ſemper aduerſam tulerunt. At CAROLVS ita tractauit arma, vt maximorum ducum gloriam longe vicerit, pacis interim artium minime oblitus. Quàm fuit miti et clementi imperio in bonos? Quàm ſeuero in malos, ita tamen, vt nec illi ſuæ clementiæ diſ-

 ſiderent,

siderent, quàm prudenter prospexit ille impendens malum? quàm cauit sapienter? Quid de fortitudine dicam? Quid de singulari continentia? Quid de Regia liberalitate? vidimus nos largientem Regna, vidimus grauissimas iniurias condonantem, vidimus incorrupte iudicantem, vidimus ad publicam vtilitatem dirigentem oĩa, vt nõ odio, iraue, aut regnandi cupiditate, sed sola publica cõmoditate, et iusti amore ferri crederetur. Hoc verè est Regem agere, hæ sunt, publicæ personæ, virtutes, quarũ si ego seriem, laudesq́ enarrare voluero, iam me dies potius, q̃ dicendi occasio deseret. Ego vero modũ mihi in dicendo, temporis breuitate, non gestorum magnitudine, non virtutum numero positum scio. Sed quis quæso huius tanti viri laudes ignoret? quæ gens? qui locus? quę orbis Regio erit? vbi CAROLI nomen non sit cum quadam diuinitatis opinione coniunctũ? Iam ipsius tropheis tota debetur Europa, iam Aphrica tota, sed nec Asia ipsa victrices fugit Aquilas, Cum ad Istrũ, Regnatorẽ Asiæ, terga dare coegerit. Verũ nec Asia ingens nec

nec bene culta Europa, aut torrida Aphrica, CAROLI gloriā capiunt, nō includitur illa certis limitibus, nec vnus ei suffecit orbis. Iam naturæ ipsius limes, quo noster hic orbis circūscribitur, angustus CAROLO visus, Herculis signa, tot seculis inuiolata, transgressus, orbē adiecit orbi, cunctisq; retroactis temporibus incognitum, aut intentatū iter reserauit, illius auspicijs altera pars orbis inuenta, & imperante CAROLO integer factus est orbis. Iam non grauatè cedit Alcides, ipseq; Liber Oceanum in oriente terminum suarum victoriarum posuit, ad cuius signa magnus Alexander peruenit, tamen Oceanū vltra nihil quærere ausi, integram hanc gloriam CAROLO reliquere. Illi inter diuos sunt relati, quod maiora præstitisse, q̃ homines deceret, crederentur. At si eos cum CAROLO conferas, quid præstitere quæso, quod æternitatem mereatur? peragrarūt illi terras, vicere regna, hanc cum illis CAROLVS laudem communem habet. At inuenti orbis honos huic soli debetur. Salue TER MAXIME CÆSAR, nulla dies, dum hominū genus has terras incolet, absq; tui

memoria erit, per te optati nuncij sonus per omnes exiuit terras. Diffudere sese olim vndiquaque viui verbi ministri, & veritatis præconium hic orbis longè latèque percepit, nec nō Indus, extremique Bracmanes, adusque Hiberos vltimos, à Trogloditis ad Cimerios vsque illud semen vitæ tulere. At media pars orbis incognita illum rorem eloquij Dei nō percepit, inuiaque & inaquosa terra, pluuiam serotinā, nostris temporibus, post mille Quingentos plus annos, arida & sitiens tum demū suscepit. Hoc debent Indi CAROLO, hoc Christi Ecclesia. Quale tunc gaudium fuisse credimus in cœlis, cum crucis signum in ignotas illas oras quasi lux in tenebris plusque Aegiptiacis fulgeret, cum pœnitentiæ salutaris vox à populo, qui sedebat in tenebris, et vmbra mortis, audiretur, salutisque admonerētur, qui peccati omnes nube obtecti, vniuersalis damnationis nō recordabantur. Sic sibi quæsiuit cœlum CAROLVS, factis ipsis longe celeberrimis, non vana hoīm opinione: iam Occidentalis India, quasi ouis in deserto derelicta, ad Christi ouile CAROLI humeris relata, adul-

ta

ta in Deũ fide, in pietate nobiſcũ certat, & illi, qui ante humanis carnibus veſcebantur, quiꝗ ferarũ potius, ꝙ hominũ more cohabitabant, depoſita barbarie, nos quaſi humanitate uincunt. Sed cur ego aduerſam fortunam prætergrediar, cum nõ minorem laudẽ animi robore, fractis rebus, ꝙ ſecundis tulerit? Vidit noſtra ætas inuictum Cæſarem tot partis triumphis ipſam penè fortunam viciſſe. Cum enim florentiſſimum exercitum in Aphricanum littus, vt Algerium, alterum Pyratarum receptaculũ, deleret, expoſuiſſet: ſubito coorta tempeſtate claſſis illiſa littori, tota penè eſt amiſſa, & cum nec tormenta bellica, quorum vi, vrbs erat capienda, nec comeatus eſſet expoſitus, anceps conſilij Cæſar, ſubitò tot malis circumdatus, nec de ſua militumꝗ ſalute dubitauit. Sæuiebat vno à latere mare, vrbs ipſa ab altero, tum infinita Saracenorum multitudo circumquaꝗ ſe obfuderat, vt Cæſareanus miles, nec tuto ſtaret loco, nec vſꝗ promoueretur, tum tanta cibi erat penuria, vt ubiꝗ fame corpora enecta viderentur. Horrendum porrò ſpectaculum erat

intueri

intueri iratum mare, fractas rates, & hominũ cadauera volui, nec tuta ipsa terra erat, quibus pepercerant fluctus, cum aut dura fame, aut sæuo hoste caderent. Denique miseranda vbique rerum facies erat, & iam cunctorum animos horror quidam propinquæ mortis inuaserat: cum CAROLVS spem vultu simulans, solando, hortando, iam desperatione languidos erigebat: exercitum inuidæ fortunæ astu proditum, ipse cõsilio, fortitudineque animi seruauit, vt non sæuum mare, non infesta tellus, non dura fames, nec implacabilis hostis, infracti animi constantiam, prudentisue consilij vim imminuerit, hostes sæpius propius accedere ausos fudit, famem suo exemplo militibus tolerandã docuit. Tandemque placato mari, lacera classe recepta, milites in securiora littora transportauit, ut quos amiserat milites, tristi fato accidisse cognoscerent omnes, & vno ore faterentur, ipsius tantum prudẽtia & fortitudine reliquos seruatos, ut iam non consilij, sed fortunæ ipsum pœniteret, cuius euentus cum sint dubij, ratione firma regi minime possunt. Si quid ergo præter spem

euenit,

euenit,arte est corrigendum.Quod ille tanta sapientia fecit, & acerbissimos casus ita correxit, vt summam maximamq́ constantiæ,fortitudinis ac prudentiæ apud omnes laudem tulerit. Ego vero de rerum gestarum gloria tanti Cæsaris nil dici posse scio, quin res ipsa per se sit longe maior. Iam si inuēti,debellatiq́ orbis titulos mente complector, video quidem neminem illorum,quorum memoria perennis hucusq́ manet huic æquiparari posse: scio me multa & maxima prætermisisse. Si enim omnia complecti voluero, iam iustam orationem excedã. Quanta enim dicenda essent de Geldrica expeditione, deque Belgicis bellis,quanta de rebus Græciæ,deq́ Turcicis classibus deletis? Quanta de Mauritana,quod Tremiseuorum Regem, innumeris cæsis Mauris,restituerit,quod Mauritanas Lybiæ vrbes celeberrimas vi cæperit, quod illa deniq́ ipsa arma à torrido cœlo ad gelidum vsq́ arcturum trans Albim tulerit, quo non infinita Romanorum potentia penetrauit vnq́,quos ille tunc motus cõposuit? Quàm fluctuans Imperium stabili-

uit? Quàm multa de hac expeditione dicenda essent, in qua animi vis singularis, admirabilis scientia militaris, & propè diuina clementia & mansuetudo effulsit, vt quibus armis terrori, illis ipsis humanitate iucundus esset. Fuit hæc longè celeberrima expeditio, neque facile credo, tam exigui temporis spatio, vllum Latinorum Græcorumue Ducem tam immensa terrarum spatia vicendo transcurrisse, vnoue bello tot victorias inclusisse. Hic mihi terminū præliorum constitutum volo, non quod victorijs finis fuerit impositus, cum ipsius auspicijs in agro Senensi fuerit Gallorū exercitus deletus, multæque vrbes vi captæ, cum in Belgio ipso coràm, Terronaua, & Ediuum, longè munitissima oppida fuerint expugnata, Arentinū à Gallorum Rege maximis copijs obsessum, liberatū, pugnandique petestas non semel hosti facta, ita vt Henricum Gallorum Regem, iuuenem, acrem, & laudis auidum, iam senex, & longis laboribus fessus, summa cum laude represserit. Nō ideo, inquam, hic finem bellicarum expeditionum, quod nil amplius dicendum

sit,

ſit,poſitum arbitror,ſed quod in tanta copia mihi modus ſit habendus, & cum ſuperius ſit oſtenſum, Græcorũ Heroum facta illum tranſgreſſum, Romanorũ quoq; gloriã exceſſiſſe conſtet, quorũ arma ad Danubium multis annis ſubſtitere, & non niſi infœlici euentu Iſtrum tranſgreſſa ſunt. Qua tanti viri laude merito contentus finem huic narrationi imponerem, ni vnum adhuc eſſet, quod abſq; ſcelere nõ poſſet intactum prætermitti. Quod ea, quæ recenſa ſunt, longe ſuperãt, ita vt omni dempta dubitandi occaſione, hunc CAROLVM vel vno hoc facto omnium Heroũ, hominumq; laudẽ longè viciſſe, certiſſimo teſtimonio arguat. Vna regnandi cupiditas inuicta tot ſæculis, imò quę de maximis ſæpe viris triumphauerat, CAROLO deuicta, debellataq; debetur. Non enim œſtro tantũ gloriæ, non indefeſſi ſpiritus vigore, aut nimio ſceptri amore actus tot pericula adijt, totue labores pertulit: ſed ſtabili conſilio, rationeq; firma, publicis rebus conſulens, vt ſecura, ac pacata vidit omnia, ſat laudis ſibi, gloriæue quæſitũ ratus, integris ſenſibus, viribus non adeo fra-

 ctis,

ctis, sua voluntate, non coactus cursum illum tantarum victoriarum cohibuit. Ego vero in prima laude summæ prudentiæ positum puto, rebus prosperè gestis, insaciabili gloriæ cupiditati terminũ ponere, tandemq́ terrenarum rerum amor est comprimendus, cum infœlix merito haberi possit, qui victor orbis suis semper sensibus inseruierit, nec frenum vnq̃ vagæ ac instabili cupiditati posuerit, ipse vero cum nil amplius esset, q̊d vinceret, se ipsum uicit. Quod nemo ante ipsum Ducum præstitit, cum ita eos inseruisse proprĳs cupiditatibus cõstet, vt hanc laudẽ Philosophis totã reliquerint. Quorum permagna pars huic palestræ ita impares fuere, vt obliti præceptorũ moralis Philosophiæ, turpiter cupiditatibus succubuerint. Quis nõ miretur virum innutritum armis, regnis, ac imperĳs citius præpositum, q̃ per ætatem alioquin licuisset, tam facile suis affectibus imperasse? tot arridentis fortunæ blandicias, irritamenta, illecebras infracto animo respuisse? vt certe summos Philosophos hac vera, solidaq́ laude spoliauerit; inuictumq́ se omni parte

declararit,

declararit. Verum vt non tantum ætate, quàm longis laboribus perpessis, ac animi curis corporis vires paulatim imminui sensit, vt quotidiana ferè valetudine à publicis negotijs auocari se vidit, functum se suo officio, ac diu satis iam hoc saxũ voluisse ratus, cum videret Imperiũ, non tanũ animi vim, quàm indefessi corporis vires requirere, cedendũ putauit: & ad exoptatã quietem, quàm non regnandi amore, sed publicæ commoditatis causa tam diu spreuisse videbatur, quasi ad tranquillum portum & dulcem senectutis nidum se contulit, in quem quasi lassus Athlas se reclinauit: imperijq; pondus INVICTI FERDINANDI humeris est exceptum. Quem nos videmus summa omnium securitate, his turbulentissimis temporibus Christianæ Reipub. præesse, vt CAROLI pietatem insignem in cedendo Imperio, amplectamur, summam in eligendo successore prudentiam veneremur. Debet plurimum Germania CAROLO, quod auxerit Imperium, quod dissidentem sedauerit, quod hostium spolijs, & trophæis ornauerit. At q̃d publicæ saluti, securitati, incolumitati de-

niq; omnium, huic quem intuemur, Inuictũ Cæsarem rebus præficiendo prospexerit, tantum debet, vt plura debere non possit. Hoc hi præclarissimi Imperij status, hoc Germania tota, hoc circumuicinæ prouintiæ cõmuni consensu asserunt, neq; verentur defuncti CAROLI se incommodum sensuros, hoc præside, hoc rectore, isto ad Imperij gubernacula sedente, cum imperante CAROLO, & Imperij & victoriarum socius semper fuerit. Cessit quoq; CAROLVS cæteris Regnis, vt nulla prorsus regnandi cupiditas animo resideret, PHILIPPO filio lõgos terrarũ tractus, multa Regna, multas prouincias reliquit. Quem videmus haud irrita arma tractantem, cum Galli hostis vires secundis prælijs sæpius contuderit, vt nõ tantum Regnorũ, quam laudis, ac gloriæ fortunæq; propitiæ hæredem instituisse putetur. Ipse vero iam terras exosus oculos cœlo adiecerat, menteq; purgata sidereas domus amplexus, totum se pietati ac religioni tradidit, ut, cum singulari disciplina, summo militum robore, maximi animi sui magnitudine, terras in potestatem redegisset, Cœ-

lum

lum illis artibus, quibus poſſe Diuina Eloquia tradunt, acquireret. Non ſequitur vulgi voces, aut populorum auram, non quæ grata ſunt mũdo, proiecit regale ſceptrum, animumq́ cœleſti robore obfirmat. Nollem tamen vos credere priuatam hanc vitam ſegniter tranſegiſſe: vt enim futuro ſeculo militaris ſcientiæ monumenta reliquit, vt regnandi artes docuit: ſic pietatis, Religionis, ſanctitatis exempla præbuit: ita vt hic vnus CAROLVS ad formandos, ac exornandos, & perpolliendos Regum animos, omnia plane documẽta præbuerit. Iam iuuenes ſua promptitudine, liberalitate, et infracti ſpiritus vigore magna audere, difficilia aggredi, dura quæq́ & aduerſa perferre docuit: viros fortitudine, ratione, experientia, manſuetudine, vt regere ſapienter & pulchre vincere poſſent, oſtẽdit. Suo demũ exemplo, qua via cœlum poſſet adi, quando ſit rebus proſperis ponendus modus, animuſq́ ab his tenacioribus curis auocandus, ſenioribus patefecit. Sic ſancte, iuſte, ac pie cum vixiſſet, curſumq́ totius vitæ conſumaſſet, cupiditatibus ac mundo ſua

voluntate

voluntate ac instituto eripitur. Vixit in Hispanijs per tres ferè annos corpore quidem adhuc in terris constituto, mente iustiore, pio & ardenti voto in cœlis iam agente.

Et nisi animus tanti luctus memoriam horreret, iam ego ostenderem, quo animi robore, quanta fidei constantia aduentantem mortē exceperit. Sed simul ac in mentem venit illius diei, non possum non in lachrimas prorumpere, Et cū ipse mecū perpendo illius gesta, illius virtutes, ereptum orbi doleo: Christianæ Reipub. vicem deploro: bonorum omnium, quibus apud ipsum singulare præsidium semper fuit, causa queror: Religionē ipsam, erepto CAROLO, ruituram penè vererer, ni FERDINANDVM CÆSAREM viderē, in quo nunc fessa & longis erroribus agitata cōquiescit. Quem ad erepti CAROLI solatium Benignus DEVS diu incolumem seruet. Ille.n.omniū animos in tantæ iacturæ mœstitia solatur & recreat: illius virtute ac fortitudine, animiquè pietate Christianus orbis lętale hoc vulnus minus iam sentit. Quamuis vno eruto, quodāmodo, oculo, necessariò aliqua pars huius

Reipub.

Reipub. corporis minus prospiciat, lucidaq; sit minus. Quid ergo clamem miser? Quid potissimum querar? Occidit, Heu, CAROLVS occidit nobis, At sibi viuit. Ille post ingentia facta, post Immortalem nominis famã, perennemq; gloriam, optatas animæ sedes, post longos inuenit errores. Illius mihi Aethere delapsam vocẽ nũc audire videor, qua TE FERDINANDE CÆSAR, qua vos Germanos Principes alloquitur. Macte esto virtute INVICTE FRATER, tu pondus nunc fers IMPERII, tu Regni modereris habenas, in tua nunc fide Germania conquiescit, tuo nunc labore, tuis vigilijs, tua prudentia conflictatæ prouinciæ paris salutem, tibi interim laudem, perennemq; famam, Cœlum deniq; ipsum paras. Vos inclyti Germaniæ proceres, si quæ sunt dissidia, si quæ irarum causæ, si qui animi rancores, pellite ista cordibus, iungite mentes, animosq;, simul iungite vires, ac concordi quodam amoris vinculo simul vos nectite, vt iuncti capiti, in quo summa est prudentia, vera Religio, maxima animi mansuetudo, vnum inuicti Imperij corpus efficia-

tis. Hæ sunt illius voces, qui optimè semper vobis consultum voluit. Illius inquam CAROLI, qui hoc exutus corpore, non affectibus mouetur, nō dolore, aut voluptate, sed sola vestri charitate. Ergo has voces optimi patris patriæ prudentissimi, ac inuicti bello Cæsaris, tota mente complectamini, ac dum ipsius erga vos omnes amorem ac charitatem certissimis argumentis comprobatam perpēditis, rapiat vos denuo ipsius desiderium in lachrymas, ipsaque recordatio tanti Cæsaris, gemitus vel inuitos exprimat. Et cum videmus huius orbis, ac modo cogniti Regiones omnes ipsius Epitaphio, ac ferali carmine insertas, vberrimo fletu huius sæculi decus ac præsidiū prosequamur. Quod ego vos singulari quodam humanitatis officio præstare video, ut ad hanc uestrā mœsticiam nihil planè addi posse putē. Verum etsi finis vitæ ipsius, quando ita Christianè decessit, facit, vt piè credamus huius vitæ miserias, cū sempiterni æui beatitudine, cōmutasse, tamen cum iudicia Dei sint inscrutabilia, cum impossibile ferè sit, animā huic cadaueri tot annos annexam, puram, ac

omni

omni prorſus labe carentē ſolui, fundite la-
chrymis mixtas preces, pro quibus ipſe pa-
ratus ſemper fuit ipſum ſanguinem funde-
re, ac pijs manibus exoptate pacem, cum
ipſe ſuū caput periclis obiectando, ſuis vi-
gilijs ac laboribus pacem vobis ſecurita-
temq́ pepererit. Verum æquius eſſe arbi-
tror, illum nunc noſtri curam agere, cum po-
ſito hoc corpore, diuina fruatur proculdu-
bio præſentia, vt ſuo propè merito, arden-
tiſſima religio, inuiolataq́ fides, & labores
pro vniuerſali Chriſtianæ Reipub. tran-
quillitate ſuſcepti, requirunt. Si quis eſt er-
gò harum, quæ apud nos geruntur, rerum
cœlicolis ſenſus, flecte ex illa tranquilla ſe-
de oculos ad hūc mœſtum cœtum TER MA-
XIME CAROLE, vide INVICTI AC PII FRATRIS
veriſſimas lachrymas, vide tanti Imperij
mœſtitiam minime fictam, vide lugubrem
pontificum venerandam ſeriem. Aſpice
hanc vniuerſalem animorum conſternatio-
nem, ac tuorum erga hos omnes, maximo-
rum & immortalium beneficiorum cape
hunc gratitudinis fructum. Tu quidē inter
beatas animas, conſortio frueris cœleſtium

 ſpirituum.

ſpirituum. At nos non tua gaudia, non tranquillitatem, non pacem qua frueris, ſed nos noſtramq; lugemus ſolitudinem, nec vlla vnquàm dies tuæ recordationis erit abſq; lachryma. TV VERO INVICTE FERDINANDE fles quidem optimum fratrem, ac erga te omni pietatis officio ſemper functum, illa veſtra, dum vita manebat, animorum coniunctio, illud voluntatis vinculum, illa mutui amoris pignora, quæ ipſa ſanguinis neceſſitudo occultis igniculis pectori infundit, meritò te magno afficiunt dolore. Sed vide, vt Imperij proceres iuſta ſoluũt mœſtitiæ, reſoluit quodammodo Germania in lachrymas. Queritur Italia, lamentatur Hiſpania, dolet Gallia, flet Apher, Indus, Scyta, nullaq; orbis regio luctu vacat. Sed hic paries, illi lapides, tota deniq; hæc ſtructura oculta quadam vi doloris aciem ſentiunt. Neq; enim his luctus is eſt, vt ad nos tantum perueniat, ſed ſua magnitudine ita diffunditur, vt vbiq; tantæ calamitatis teſtes habeat. Sed nequeo quæ ſtatueram omnia proferre, cum & ipſius rei magnitudo, ingensq; orationis campus ita me hinc inde auocet,

auocet, vt confessus hæream. Tum tantus me dolor occupat, vt haud facile verba expediam, & iam erumpentibus lachrymis ipsa oratio cedit. Dixi.

Ea finita oratione, ceptum offertorium est, & hoc tali peractum modo. A sinistra parte antiqui chori tabulatum quoddam fuit extra nauim, sed in nauim tamen patente ianua. Eoq; in loco & vexilla erant, & equi holocerati, & militaria defuncti Cæsaris arma, & ornamenta imperatoria. Hæc quoniam ad aram Deo offerri debebant, interea igitur, dum Tridentinus perorabat, personæ illis muneribus pridie assignatæ eisdem præfuerũt, oĩaq; ad oblationem suo ordine præparabãt. Debebant aũt ea omnia illo modo atq; ordine offerri ad sacram aram, quo pridie vesperi in processione ꝓcessissent, initio scilicet vexillũ Burgundicum et huic destinatus equus, deinde Austriacus & huius equus, & ita deinceps reliqua. Nequid autem contra processus ordinem delinqueretur, Baro de Monesis & Sueuorũ Prætor Ilsing ductores, primo loco præibant ad aram, & hos duo secuti He-

roldi, Vngaricus & Bohemicus. Sed mox, ut è tabulato in nauim venerant, obuersi ad Cæsaream Maiestatem, flexo genu, honorē Imperatori suum exhibuerunt, paululumq; ꝑgredientes, ad sinistrū latus auersi, prope Castrum doloris, & defuncti Cæsaris cenotaphio eundem honorem habebant: tertiò, eundē altari, in accessu, dū id obirent: quartò, dum offerrent vexilla & equos: quintò, dum in regressu præ..rirent cenotaphium defuncti Cæsaris: sextò, dum ad conspectū Imperatoris reuertissēt. Equi è naui tēploq; educti, sed vexilla ad tergū Castri doloris sustenta, quemadmodum pridie factum diximus. Simili reuerentia, honorisq; significatione, sicut in vexillis & equis ostensum, declarata, ad eandem aram oblata sunt & arma militaria, et imperatoria ornamenta.

Ea offertorij parte absoluta, Cæsar ipse, præcedentibus duobus imperij Heroldis, et Marschalco, cum stricto gladio, ad altare perrexit, cōiunctim subsequētibus quatuor cōlugentibus, comite de Luna, Archiduce. Martino Cromero, Alberto duce Bauariæ, & post istos, Electore Moguntino, Cæteris q;

risq; tum electorum, tum principum absentium legatis. Datiq; singulis singuli sunt albi cerei, sed differenter magni, maioresq; pro cuiusq; principis sessione atq; dignitate. Quos cereos Cæsar & principes, quibus aureos nummos inseruerant, et legati pariter, ad aram offerebant. Cæsar autẽ, vt vnà cũ suis in chorũ antiquum, & in sua quisq; subsellia reuertissent, vexilla ea in loca (habito prius Cæsari honore) in quibus pridie erecta ostendimus, reportauerunt. Similiterq; et arma militaria, ante Castrũ doloris suspensa sunt, & imperatoria ornamẽta reposita, supra Cenotaphia defuncti Cæsaris.

Peracto hoc exequiarum sacrificio ꝓ defuncto Carolo Imperatore, aliud officiũ de Trinitate incepit Archiepiscopus Saltzburgensis, q̃d iam læto cãtu per Symphoniacos celebratũ peractumq; est. Quo finito Cæsar descẽdens acceptaq; per Cardinalẽ benedictione, & aqua lustrali aspersus, eo ꝓrsus q̃ uenerat ꝓcessu, in palatiũ est reuersus suũ.

Hæc de exequijs iustisq; Caroli Imperatoris. Cui tu omnipotens Deus, Pater misericordiarũ, propter meritũ filij tui, Domini

nostri

nostri Iesu Christi, & intercessionē B. Mariæ virginis, omnium sanctorum, precesq; has nostras, misereri dignare: vt, si quo nexu pœnarum temporalium adhuc tenetur, has ei velis mitigare, & abrumpere tandē, ipsumq; in cœlestem patriam abs te receptum collocare in cōsortio beatorum: vt lætissimo conspectu diuinæ Maiestatis tuæ in æternum frui queat. Ferdinandumq; hunc Imperatorem nostrum gratia tua guberna, vt quæ tibi placeant, faciat semper, quæ displiceant, omittat, & hoc, quod tu tribuisti, sceptrum feliciter gerere possit, ad tui nominis gloriam, ad Catholicæ Ecclesiæ defensionem, ad instaurationem labantis in Germania Christianæ reipublicæ. Amen. Datum Augustæ Vindelicorum, anno humanæ salutis 1559. die 26. Februarij.

Altera, quæ proxima secuta est, hebdomade, prima die Martij, pari cæremoniarū cultu, parentatū quoq; est Mariæ Reginæ Vngariæ. Nihil autem in hisce exequijs defuit, præter hæc scilicet. Nō habita fuit processio: Castrum doloris mutatum, factumq; fuit minus aliquantò, quàm Cæsaris erat, aliudq;

aliudq́ positum Cenotaphium, holocerico panno subtus, desuper vero aureo coopertum, sed loco ornamentorum imperialium, corona Vngaricæ Reginæ cõgruens, collocata fuit. Præterea pro Caroli Cæsaris clypeis & insignibus, reginæ Mariæ insignia parietibus, facibusq́ eis, quas pauperes gestabant, appensa fuerunt. In ipsis vero exequiarum sacris nihil mutatum, nisi ea, quæ personæ non congruebant.

Habuit autem de laudibus actaq́ vita Reginæ Mariæ elegantem orationẽ Georgius Drascouitius Quinqueclesiensis Antistes disertus. Et quanq́ oratio pro decoro Reginalis personæ, non ita potuit splendere, sicut illa, quam luculentissimã de Carolo Imperatore Electus Tridentinus perorauit, ita tamen actione eam effecit sua illustrem, vt præter modum nitere videbatur.

ORATIO FVNEBRIS DE defuncta Maria Regina Vngariæ.

ADmiratione teneri Maiestatẽ tuam, Cæsar Augustissime, vosq́ sacri Ro-

mani Imperij principes excellentissimi, cæterique item cuiuscunque ordinis viri nobilissimi, non dubito, cur non alijs hanc dicendi prouinciam reliquerim. Non tàm enim hominis Pannonis esse quis non intelligat, de laudatissima progenie Austriaca dicere, quam eorũ, qui in suis Regnis, et prouincijs hanc verè Regiam sobolem nascentẽ viderunt, crescentem sunt admirati, florentem venerati, & ceu quoddam speculum omnis generis virtutum intuiti, denique qui morientem in sanctissima monumẽta collocarunt? Atqui nemo dicentem recte mirabitur, si consideret nobilissimã Reginam Hungariæ Mariam (cuius exequijs, ab Imperatore inuictissimo & Christianissimo Ferdinando, hodiernus dies datus est) natã quidem & educatam apud alias gentes, at in nostris Regnis cum optimo & nobilissimo Rege Ludouico coniuge, vitam aliquantulo tèmpore egisse, nobis ornamenti loco fuisse, resque nostras tutatam tantisper, dum prouidentia æterni numinis id fieri voluit. Quare etsi me huius rei magnitudo facilè terreat, & à dicendo auocet (debent enim

maximo

maximorum principum laudes, à maximis doctiſſimiſq; viris decantari, qualem habuit Achilles ſuarum virtutum preconem Homerum, Themiſtocles Herodotum, Cyrus Xenophontē): iniuria tamen noſtri homines ſe affici arbitrarentur, ſi, in exequijs Reginæ ſuæ, quam diuinitus ſibi datam obnixè coluerunt viuam, defunctam honorant, me præſentem tacere animaduerterent. Meum igitur eſſe putaui non penitus ſilere in hodiernæ diei funere, ſed ea dicere, quæ à me, ſi non pro dignitate, at certè pro temporis conditione, & pro virili mea dici poterunt. Quæ quidem res me, et apud tuam Maieſtatem, Cæſar Auguſtiſſime, & apud ſublimem veſtrum cōſeſſum, optimi principes, viriq; nobiliſſimi, ita, niſi ego fallor, excuſabit, ut non ſolùm, cur ego potiſſimum ſurrexerim ad dicendū, cum ſedeant alij, mirum videri nō debeat, aut aliud me, quàm mei ſit officij agere exiſtimari, verū etiam vt ſperē munus hoc neceſſariò à me ſuſcipi debuiſſe, oēs iudicaturos eſſe. Cum autē non deſint multa et prçclara, quæ nō fictè aut ſimulatè de laudatiſſima hac regina

 merito

meritò à me dici possint & debeant, vestra sponte et iudicio, vos æquis auribus me audituros confido. Neq; verò meum esse iudico longam orationem texere, ne aut vobis molestiam verborum multitudo pariat, aut exequiarum ratio sanctissimè, à sanctissimisq; patribus ante multa sæcula instituta, & posteritati commendata, ritè suoq; modo procedere possit. Non sunt recitanda mihi, antiquissimæ, & nunq; satis laudatæ domus Austriacæ, initia, vnde hæc regina Hungariæ nostræ ortum habet, tam sunt enim hæc omnibus nota, ut nulla recitatione indigeant, præsertim hoc tempore, cum à Reuerendissimo domino Electo Tridentino nuper copiosè sint repetita. Quanquàm verò hæc talia sunt, vt, cũ sat laudibus efferri non queant, ea semper liceat dicere, liceat repetere: iam tamen præteribo silentio, hanc domum, aliquot iam sæculis, in vniuersa Europa principem locũ obtinuisse, et regnare atq; imperare in hunc vsq; diem cum summa moderatione, cum maxima æquitate; cum laudabili iustitia, commodoq; multarũ gentium; nec id addam quot Reges, quot

Imperatores

Imperatores ex hac domo sint ꝑfecti, quot deniq; Habſpurgica familia dederit orbi Chriſtiano viros fortiſſimos. Huc autē mea tendet oratio, vt quæ noſtræ Reginæ fuerit uita, et quæ ab illa ſeu apud noſtros Pannones, ſeu apud Belgas præclarè geſta ſint, deniq; quo fato in Hiſpaniis extremū diem obierit, breuiter explicem. Quoniam verò, cum ex Regibus, Reginisq; orta eſſet, Philippo Rege patre, matre Ioanna Regina Hiſpaniarum, educata etiam Regia inſtitutione, & quod præcipuum eſt rectæ educationis caput, pietatē ceu fundamentū futuræ uitæ, ſanctè beateq; imbibiſſet, uniuerſum virginitatis ſuæ tempus laudatè feliciterq; trāſegit, adeò, vt Vngariæ et Boēmiæ, atq; aliorū regnorū, multarumq; prouinciarum Rex Ludouicus, tunc quidē, ſuperis ſic volentibus, feliciſſimus, ex omni eius temporis virginum cœtu, hanc vnicam ſibi in coniugem chariſſimam optauerit, ambierit, ac tandem ab inuictiſſimo atq; Auguſtiſſimo Cæſare Maximiliano, vtroq; tempore pacis & belli, ſummam maximamq; laudem, vel ab hoſtibus meritò obtinuerit,

Quæ res, nō tantùm Regi ipsi summam læ-titiam peperit, verumetiam populos omnes totius Regni Hungarici exhilarauit mirificè. Et quanquàm Regina ipsa suo aduentu certam felicitatem Regno attulisse videretur, spes enim non dubia cōcipi poterat hæredem eam Regi parituram, cum antea nulla esset illi soboles: Cæsarum tamen Austriacorum affinitas augebat felicitatem hanc, & inexplebilem lætitiam, ut, etsi hæredem in hoc coniugio natura negaret, vel ipsa Austriacæ domus fœcunda vbertas, orbum non sineret regnum Hungariæ. Incredibilis igitur omnium ordinum applausus, & certatim concurrentium hominum congratulatio, tū verò videre gestientium, infinita agmina fuère Reginæ obuia. Nec defuere, qui ab ipso Ponto Euxino, et ab vltimis finibus antiquissimæ & Christianæ Reipub. fidelissimæ propugnatricis Croatiæ, Austriacam virginē visum venissent. Vbi Budam, aurei regni metropolim, ventum est, sui similis semper perstitit, nō opes, non splendor gentis, non mariti, Regis tūc nominatissimi Maiestas, nō Imperium bo-

nam

nam castamq; mentem à modestia ad insolentiam, à benignitate ad inclementiam, ab humilitate ad fastũ mutare aut flectere potuerunt, quin Deo, quin marito, quin adepti regni commodis viueret. Testes mihi in hodiernum diem sunt Pannonici nominis reliquiæ, quæ ceu ex valido & potenti incendio, tua, secundum Deum, optime Cæsar, industria atq; pietate, ereptæ ac seruatæ, optimæ Reginæ laudes, non sine lachrymis, frequenter solent decantare. Paucos admodum annos cum inclyto rege marito vixerat, cum Turcarum tyrannus, & Christiani nominis hostis hæreditarius, cũ ingentibus copijs (ut solet) ad euertendum regnũ Hungaricum sese contulit. hic Regina cognito periculo, videbat enim (quod euentus postea docuit) de salute Reipub. agi, non suæ quieti, non otio, non saluti, non amori coniugali, quem colebat sanctissimè, consulere voluit: sed maritum, ad Rempublicam tutandam, ad viduas & pupillos seruandos, armata contra tantum hostẽ manu prodire passa est: quid dicam passa est, cum mansuetè blandeq; hortata sit, spreta contemptaq;

sua

ſua vita? Profectum in aciem Regem, cum rem infœliciter geſtam cognouiſſet, nec ſe Budæ amplius tutam videret (etſi Conſiliarij, ipſi fuga ſaluti conſulendum cenſebant; relinquendumque prorſus Regnum Hungaricum) non longius tamen Buda quam Comaronium progredi, itinere ſcilicet duorũ dierum voluit, adeò charus illi maritus, tanto illi in pretio Reſpublica erat: neque enim hîc rem Hungaricam tantum agi, ſed & vniuerſæ Reipub: Chriſtianæ negotium ſapientiſſimè animaduertebat. Audita tandem lamentabili chariſſimi Regis mariti cæde; non cunctandum amplius rata, Poſonium ſeſe confert, ne longius à tua Maieſtate abeſſet, Auguſtiſſime Cæſar, quem vnicũ habebat ſuis rebus perfugium. Infamis hodie nobis eſt cãpus Mohâchinus, Regis miſerabili cæde, multorumque Antiſtitũ, Comitum, & Baronum lamentabili caſu, vt meritò illa tunc, tãta clade cognita, ad vltimos fines Hungariæ proceſſerit: non enim erat gentem, cui aliquot iam annos feliciter imperauerat, relictura, ſi fata habuiſſet paulo magis propicia. Sed ô clementiam ſanctiſ-

ſimi

tissimi numinis, æternique Regis in Christianum nomen pietatem: tantus hostis Rege crudeliter interfecto, cæsisque innumeris nostrorum millibus, & vastatis adiacentibus prouincijs, tamen perficere hoc non potuit, ut nō tuam, Cæsar, Maiestatem Mohachini agri dominum agnoscerent: tuo enim iussu, inuictissime Imperator, in hodiernum diem hos agros, quamuis Solymani præsidijs occupatos, ita possideo ego, ut imperata colonus faciat, & me legitimum Antistitem agnoscat. Ad rem redeo, florētem, in florentissimo regno, vidisti sororem, Imperator Augustissime, vidisti arma barbarica fugientem, & ad te confugientem, excepisti. Quid autem? nunquid his malis fracta? & regno exuta, sui fuit dissimilis? Nunquid nō se verè heroica fortitudine animi prędıtam declarauit. Petentibus celeberrimi nominis principibus iam viduæ nuptias, secundo coniugio copulari non voluit, & viduitatis leges sanctè sibi atque inuiolatè seruandas statuit: seruauit etiam ad ultimum vitæ exitum, cum laude tanta, quanta in ore est omnium, vt minime frustra videatur san-

ctissimæ Annæ prophetissę, cuius præclara extant in sacris literis Encomia, viduitatem imitata. Cum enim totis triginta annis, & amplius apud Belgas viduam egisset vitã, tandem inuictissimũ Imperatorem Carolũ secuta in Hispanias, eodem vitę genere cõtinuato, vitam finijt. Essent hic mihi dicenda multa, si quidem narrare pro dignitate velim, quę viduitatis illius cursum exornarint, et Deo meritò cõmendarint: essent cõmemoranda plurima, si res eius in Belgicis prouincijs præclarè, egregiaq́ cum laude gestas coner continuare: quibus partim satisfecit expectationi fratris Cæsaris, à quo fuerat in Belgio, ceu in specula contra hostes minimè contemnendos collocata, partim auxit et cumulauit illius gloriam. Nihil est enim in omni eius administratiõe cognitum, quod non cum maximorum Regum atq́ Imperatorum factis meritò possit comparari. Ac dum pace frui licuit, pacis amãtem sese oĩbus declarauit: Iura dixit populis: oppressis opem tulit: Reipub. cõmoda fouit, auxit, & ornauit. At ab hoste seu palàm, seu fraudulenter lacessita, verè se heroica

roica

roica animi magnitudine præditam ita declarauit, ut, et insidijs hostilibus maiorẽ sese ostenderet, et inimicos exercitus sæpe feliciter profligaret ac sterneret. Sed dies me citius defecerit, quàm hæc ego possim commemorare. Vnum hoc non possum non dicere, nõ minus illam publicæ pacis studiosam fuisse, quàm reprimendis hostium iniurijs idoneam. Cum victricibus armis Galliam Carolus Cæsar penetrasset, iamq́ꝫ excidio Parrisiorum immineret, nec Franciscus Rex, vt qui iniustè Cæsarem lacessiuisset, spem impetrandæ pacis vsquàm sibi relictam cerneret, Mariæ Reginæ consilium petijt, opem implorauit, intercedente Leonora Francisci coniuge, sorore Cæsaris. Quid autem Maria? Oblita illa maximarum iniuriarum, quibus paulo ante à Gallis affecta fuerat, Francisci afflictis rebus occurrit, Fratrem victorem hortatur, ad tolerabiles pacis conditiones inuitat, & quàm misero in statu sit Gallorum fortuna, iubet eum expendere. Heroicæ enim fortitudinis esse, non solùm vincere posse hostem, sed victo etiam parcere

 aliquando,

aliquando, Deoq; nonnunquã clementiam esse iustitia gratiorẽ. Cæsar his alijsq; Mariæ Reginæ deprecationibus permotus, pacem concedit Francisco, armaq; ex Gallijs reducit, & quasi Regnũ ei iure ereptũ vltrò restituit. Quanta cũ gloria sua hoc fecerit Cæsar, quanta cũ laude idem impetrarit à fratre Maria, nulla ætas obliterari patiet̃. Huc accedit ad has fortissimæ Heroidos tã præclaras animi dotes, insignis quædã in Deũ pietas. Maximam fuisse potissimamq; vitæ illius partem precationibus, cultui diuino, templorum ornatibus, & fouendis ecclesiarum ministris datam, notius est, quã à me vt debeat referri. Quæ res, mea quidẽ sententia, in causa fuit, vt tam placido & benigno fato, ex hac misera & incerta vita, in cœlestẽ patriam vocaret̃. Quid enim potest christiano homini contingere maius, q̃ sanctè et christianè in Catholica et Apostolica fide mori? quid pulchrius? quid laudabilius quàm cuius nomẽ sis professus infans, hunc te moriturum salutis & æternæ vitæ authorem profiteri? quid consonum pietati magis, quàm sacramentis, quæ vltimæ nostræ

debentur

debentur lineæ, è vero fidelium consortio petitis, ceu viatico accepto, ad sacrosanctũ iter accingi? Hæc adeò huic nostræ Reginæ feliciter contigêre, vt omnibus cum fœminis, & ad æternam felicitatem properantibus, tum etiam maximis quibusq; viris, et summa constantia in retinenda vera religione præditis, optandum sit meritò, simili fato mori, simili conditione humanas res relinquere, æternas appetere. Itaq; posteaquàm Carolum Quintũ Imperatorem, lumen atque ornamentum orbis terrarum, tot rebus terra mariq; feliciter gestis, in vitam beatiorem migrasse audierat, planè sequi fratrem gestiens, ex hac vita ærumnis calamitatibusq; plena, in æternitates felicissimas migrare cupiens, à Deo optimo maximo paucis admodum post diebus sublata est. Solonis laudatissimi suo tempore Philosophi sententia, quin & aliorum complurium, ij demũ felices sunt, quorum vitã bene antea beateq; actam, placida funera subsequuntur. Felicem igitur dicemus hanc nostram Reginam meritò, quæ non solùm benè beateq;, & multorum cõmodo vixit,

verumetiam sanctissimo genere fati suum diem obijt. Sed quæ hæc felicitas fuerit, si cum ea quæ vera et ęterna felicitas est, conferatur? nã piè vixisse, & mori sanctè, eum finem habet, vt vera sit & sempiterna felicitas, vera beatitudo, & christiani hominis propria. Ea nũc, ut speramus, fruitur, & fruetur æternum Maria, Cæsarum soror, & suę ætatis fortissimarum fœminarum immortale decus: cuius nomini hodiernæ diei exequias dedicamus. Sed dicet aliquis, quorsum hæ pompę funebres? quid hę sibi volũt exequiæ? quam vtilitatem? quid commodi Christiano homini adferunt? Vetus est hæc Ecclesiæ Catholicæ doctrina & cõsuetudo, defunctorum fidelium memoriam sanctis cæremonijs celebrare, eosq; pijs precibus, eleemosynis, ac sacrosancto & admirabili sacrificio iuuare. Extant autem non solùm sanctissimorum occidentis patrũ hac de re insignia testimonia, verumetiam Græcorũ, atq; adeò ipsius orientalis Ecclesiæ. Et sacrę literæ non obscurè testantur, debere nos in Christo defunctis pia vota, debere hæc iusta

sta

ſta illis perſoluere, debere hanc parentandi ſollicitudinem: quæ non aliter à nobis præſtari poterunt, quàm hijs ipſis rationibus, quas nunc videtis. Verum hac de re decertare nolo, non enim hoc noſtri inſtituti eſt: hoc monuiſſe ſit ſatis: primùm ex ſacra ſcriptura vera & ſolida huius rei fundamenta, ſanctiſq; patribus & vetuſto Eccleſiæ Catholicæ conſenſu peti poſſe: deinde vtiles eſſe atque neceſſarias piorum hominum orationes, ſi non omnibus, pluribus tamen, ijſque ſcilicet, qui in vera Catholicæ fidei confeſſione, in ſtudio pœnitentiæ moriuntur. Quare hortor omnes in Chriſto, quotquot me dicentem audiunt, ut piè ſanctèque hos ritus venerentur & colant: nec ſe ab Eccleſiæ Catholicæ communione & ſocietate, quorundam callidis impoſturis auelli patiantur. At hîc rurſum dixerit quiſpiam: preces atque orationes rectè fieri pro defunctis, & omninò ſancto conſilio in Eccleſiam introductas, cæterum hos apparatus purpuratos, tantam cereorũ ardentium congeriem, tot aurea inſignia, tot

equos

equos cultu inusitato conspicuos, nihil prodesse mortuis, nec ad Ecclesiæ consuetudinem pertinere. Tametsi quidem, illa more maiorum rectè fieri constet, cum hæc partim signa sint pœnitentiæ, quam egisse defunctum speramus, partim nostri erga defunctum officij atque amoris: fatemur tamen ista nõ pro necessitate esse instituta, sed existimamus licere Christiano homini, monumenta, & aliqua, eiusmodi amoris ergô, signa ponere ijs, quos in vita charos habuit. Quod cũ ita sit, quis negabit maximis principibus, & in culmine rerum humanarum constitutis, hac saltem ratione charissimorum, præsertim autem domesticorum lenire desideriũ? vt interim illud taceam, quod præcipuum est, hac nimirum ratione publicè, externoque gestu fideles testari, quod in Symbolo Apostolico se firmiter credere profitentur, carnis resurrectionem futuram, & vitam æternam. Quare cum hæ cærемoniæ, fidei & religionis articulis, non solum non repugnent, verum etiam certum quoddam testimonium adferant, neminem sanæ mentis, hisce sanctissimis charitatis fideique

deicꝙ teſtimonijs credimus cõtradicturum. Recitaui ꝓ officio meo, et benigna auſcultatione veſtra, ea qua potui breuitate, nobiliſſimæ ac laudatiſſimæ Mariæ, Hungariæ, Boëmiæ, Dalmaciæ, Croaciæ, & Sclauoniæ &c. Reginæ originem: quibus ſit & quantis parentibus orta, quàm ſanctè educata: & qua laude virginitatis curſum continuauerit: qua fortuna maximo & optimo Regi nupſerit: quo fato maritũ Hungariæ, Boëmię, Dalmacię, Croacię, Sclauonię &c. Regem inclytũ Ludouicum amiſerit: quã laudatè viduitatis leges totis triginta annis et amplius cuſtodierit: qua pietate pupillos et viduas coluerit, adeò ut pro horum ſalute ſuam ipſius ſalutẽ contempſerit: qua dexteritate Belgicas prouincias adminiſtrauerit, & ab hoſtibus defenderit, pacem coluerit: quo ſtudio Eccleſiarum et templorum commoda, cultumꝙ diuinum auxerit & ornauerit: deniꝙ ꝙ ſanctè, ꝙ pie, quàm placidè extremũ diem obierit. Hoc vnum nunc ſupereſt Auguſtiſſime Cæſar, atꝙ inuictiſſime Imperator, voſꝙ ſacri Romani Imperij principes excellentiſſimi, et reliqui ordines

 nobiliſſimi,

nobilissimi, ut pro huius Reginę nostrę, ac fratris Caroli imperatoris Maximi animarum salute, flexis genibus mecū vnà, eam quā nos filius dei docuit orōnem, adiūcta Angelica salutatione, deuota mente recitetis. Dixi.

Tertię exequię pro defuncta Maria Regina Angliæ, habitæ sunt II. die Martij. In eisq; idem castrum doloris remāsit, eædem Cæremoniæ, insignia mutata duntaxat, & nomen personæ in sacris. De hac Nicolaus Lanoius & pietate & doctrina excellens Theologus de societate Iesu, orationem recitauit insignem, quam hic quoq; addi curauimus.

ORATIO FVNEBRIS de defuncta Maria Regina Angliæ.

SI laus (vt in æthicis docet Aristoteles) primum est virtutis, honestæq; actionis uelut quędā merces, ibi sanè potior erit laudandi honorandiue ratio, vbi quispiam in actionibus virtutē excellentiorē operā collocauerit. Vnde et veteres, pter Encomia

honoresq;

honoresq; publicos citius euanescẽtes, in ar gumentum & velut solidam compensatio nem fortitudinis, seu rei præclaræ vtiliterq; gestæ, statuas & huiusmodi quæ velut perpetuò duratura essent, monumẽta decernebant, volẽtes nimirũ sic erga benè meritos homines suam gratitudinem testatam esse, aliorumq; animos ad egregia facinora excitari. Et eos quidem, qui Rempublicam vel grauiori periculo liberassent, vel insigni aliquo auxissent cõmodo, ceu numina quædã suspicientes, aut patres liberatoresue patriæ nominabant, aut quolibet simili honoris titulo exornandos esse ducebant. Quanq; ita magnificè põposeq; celebrati, tales plerumq; erant, qui potius vituperijs, quã præclaris honoribus digni viderentur. Etenim tunc demum veræ laudis existit ratio, quãdo nõ portiuncula virtutis, sed integra perfectaq; virtus ab aliquo insigniter exercita cõperitur, vtpotè dum quis ita cordatè, probè, sanctèq; vitã instituit, vt mortem oppetere malit, q̃ aliquid vituperio dignum, seu quod à rectæ rationis calle, vel latum vnguem exorbitet, admittere.

In hac autem fœmina (virginem heroicam rectius dixerim) quã Imperator pientiſſimè harum inferiarũ honoribus, multas ob cauſas cohoneſtãdam eſſe duxiſti, & nos licet rudi et inculta orõne, laudibus uehere cõſtituimus, nihil niſi caſtum, niſi ſanctum, nihil niſi laude dignũ deprehendi poteſt, etiamſi vniuerſæ eius vitæ partes, vel oculatiſſime perluſtrent. Quò fit, ut nobis optabilius foret, uiuam admirari, quã defunctam meritis exornare encomijs, quæ etiam calamitates imperijs aliorum importatas, ſua prudentia ac magnanimitate propulſauit. Sed quoniã diuini numinis prouidentia factũ eſt, ut abrupto eius vitæ filo, nobis mortalibus erepta ſit, iuſtum eſt, ut quos, dum viueret, immortales honores ſibi parauit ac ꝓmeruit, illi ad meliorem vitam ſublatę, pro modulo noſtro perſoluamus. Virtutes eius maximè à Principibus tum uiris, tũ fœminis imitandas, & varios caſus, quos forti animo pertulit, noſtra attinget oratio. nam ex his procliuè vnicuiꝙ fuerit, cętera quę ad eius laudes pertinent, æſtimare. Vt igitur ab alto ſtemmate Auorũ eius ſermo noſter decurrat

rat

rat, parentes habuit illa Henricum octauũ Angliæ Regem, & Catharinam illustrissimorum Regum Hispaniarũ Ferdinandi et Elizabethæ filiam. Cuius insigni pietate, ac regali magnificentia sic educata est atq; imbuta, ut nõ alteri, q̃ ipsi Imperatori summo ac nobilissimo in terris principi Carolo V. sanctæ memoriæ heroi, in coniugem destinaretur. Vnde et conuentum fuit de sponsalibus, ipsa necdum nubili, contrahendis: & omninò optatum progressum habuisset negociũ, factaq; esset Cæsaris vxor, si ad eius ac principum Hispanorũ petitionẽ ex Anglia in Hispaniam fuisset transmissa. Verùm cur id nõ contigerit, quod sic alioqui oĩbus in uotis erat, causa pręcipua fuit, tenerrimus Parentum amor erga filiam, quàm à se ante nubiles annos dimittere neutiq; voluerunt. Nec id sanè mirum, cũ esset ipsa vnica soboles, vnicus illius coniugij et nexus et fructus, vnica spes regni: adhæc & rarissimæ indolis, pspicacissimi ingenij, eximiæ probitatis, et admirandę pro ea ætate, et facundiæ & literaturæ, quippè & latinè græcèq; nobiliter edocta: de qua possit nõ immeritò

illud dici, quod de nobilissima quondam Ostrogothorum Regina Amalasunta inclyti Regis Theodorici filia, ad senatũ vrbis Romæ ante mille annos scripsit nobilis senator Cassiodorus in hæc verba: Hanc, inquit, dignissimè oĩa regna venerantur, quã uidere, reuerentia est, et loquentem audire, miraculum: qua. n. lingua nõ probatur esse doctissima? Atticæ facũdiæ claritate diserta est, Romani eloquij pompa resplendet, natiui sermonis vbertate gloriatur. Vsa est aũt Maria nostra p̃ceptore Thoma Linacro viro tũ eloquentia, tum variarũ rerũ cognitione præstantissimo, qui tãta felicitate, dexteritateq́ docendi præditus erat, vt hoĩes etiã bardos haud difficilè doctos redderet: quãto magis ingeniosam et ad literas natã virginẽ egregiè potuit excolere? Præterea bonarum artium, quarũ vsus apprimè necessarius est ijs, qui ciuitates populosq́ moderaturi sunt, tantam scientiam sibi comparauit, vt etiam diu multumq́ in eo genere studiorũ exercitatis posset æquipararari. Et cui obsecro videatur hoc incredibile? Omnia enim illi natura largita erat, quemadmodum

modum Salomoni Regũ prȩclarissimo, qui de seipso testatur: Puer eram, inquit, ingeniosus et sortitus bonam animã. Solet enim plerũq; in magnorũ principum liberis, nescio quid maius, quid prȩstantius, quid eminentius elucere, q̃ in plebeis hoibus. Quapropter si ad naturȩ bonitatem accedat recta educatio institutioq;, ita ut vbi versantur, nihil nisi honestum, pudicum, temperatum videant, nihil nisi quod castas deceat aures, audiant, nihil denique nisi quod ipsis dignum sit percipiant, nõ temerè incolumitas imperiorũ, salusq; populi in illis ponit. Quo autem maior huic puellæ illustrissimæ accederet authoritas, reuerentia & gloria, regali splendore, ac magno comitatu educta fuit ex Aula regia in terrã VValliȩ, vbi pro more gentis declarata fuit authoritate publica Regis & omniũ Angliæ statuum, hæres regni, anno Domini M. D. XXV. quemadmodum de Rege Salomone tertij Regum primò legitur, quod eum pater suus Dauid publica pompa duci iusserit in Gihon, vt ibi à Sadoch sacerdote & Nathan Propheta in regem Israel vngeretur.

Sed

Sed heu incertã nimis & instabilẽ humanã pacem & felicitatem. De qua ex sententia Solonis eleganter canit ille: Sed scilicet vltima semp Expectanda dies homini, diciq; beatus Ante obitũ nemo supremaq; funera debet. Nam vbi Rex haud sanis vsus consilijs, de repudio Reginæ vxoris pientissimæ ac nobilissimæ cogitare atq; agere cæpit, maxima inde orta est tẽpestas, quæ florentem illius regni statũ miseris modis perturbauit. Quantũ proinde calamitatis atroces illi motus, innocentissimis matri ac filiæ attulerint, facile æstimet, quisqs nõ ignorat, honestis ac generosis anĩs quauis morte esse durius, dignitate ac fama indignè spoliari. Etsi autẽ pondus istius tam diræ & iniquæ sortis innocẽtes fœminas premere quidem potuerit, deprimere tamen haud quaquam: An credibilè est tam fortia pectora istis fortunę ludibrijs cedere potuisse? Testatur scriptura diuinitus inspirata apud Salomonem, haud contristatum iri iustum, quicquid illi acciderit. Et rursus alibi beatũ prædicat virum, qui suffert tentationẽ: quoniã cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ omnibus

bus diligentibus Deum repromiſſam. Ex hoc diuinæ largitatis fonte inexhauſto, refrigerium & conſolationem affatim hauſerunt noſtræ heroides, diuinarum ſcripturarum ſcientia imbutæ, quæcunq; n. ſcripta ſunt, vt ait Apoſtolus, ad noſtrã doctrinam ſcripta ſunt, vt per patientiam & cõſolationem ſcripturarũ ſpem habeamus. Dolorem igitur triſtitiamq; ſenſerunt (homines enim erant, à quibus nihil quod humanũ ſit, alienum fuiſſe duco) ſed quas animi perturbationes vi atq; impio rationis ita repreſſêre, vt magnanimitas, quę illarũ animis ſumma inerat, nullum inde acciperet detrimentũ. Huius diuini p̃ſidij fiducia, velut panoplia quadã impenetrabili armatæ, omnibus infortuniorum iniurijs, ſuperiores euaſêre. Neq; verò fruſtra tot ſuſpirijs, tot pijs votis ac precibus ianuam diuinæ clementiæ pulſauêre: nã pius et miſericors Dominus, qui, (vt rectè cõfitetur caſtiſſima illa Sara Thobiæ) poſt tempeſtatẽ, tranquillum facit, & poſt lachrymationẽ & fletũ, exultationem infundit, dignatus eſt turbulentam ſedare tempeſtatem, et diſiunctos animos regis ac

Reginę læta ac salutari recōciliatione iterū cōiungere. Interea cum eadem serenissima Anglię Regina Catharina ex tot tāq; acerbis præsentis vitę casibus per mortē erepta esset, omni humano p̄sidio solatioq; videbatur filia Maria destitui, regno ipso nouis institutis, varijsq; in rep. motibus p̄turbato: sed adfuit, adfuit suæ filiæ pater misericordiarum et orphanorū fidelis adiutor Deus: vt et olim Regi Dauidi grauissimis tribulationum procellis exposito, quibus diuina ope sup̄atis, lætus ait, Secundū multitudinē dolorū meorū in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animā meam. Qua in re inter cætera occurrit quoddā haud dissimulandū diuinæ prouidentiæ miraculum, qua etiam clementer factū est, ut Mariæ sacras cęremonias ueteresq; Ecclesię ritus (licet in abdito loco) de more sectāti, neq; regiū imperiū, neq; vlla vis humana, impedimentū molestiāq; adferret vnq̄. Hic etiam silentio minimè inuoluendū puto, quomō insignem istam in Deum pietatē adhuc velut sub modio positā, exteris hominibus contestata sit. Legatus Cæsaris noīe perfunctus apud regem Anglię legatiōis munere, cū ad ipsam

arte

arte quadam penetrasset, & ad religionem auitam firmiter retinendam cohortaret, respondit, Ego, inquit, fortissimũ habeo propugnatorẽ, qui non patitur à sancto proposito me abduci, quem si vobis cõmonstrari uultis, ostendam. Tum deductis in penetralia domus, vbi Deum orare cõsueuerat, reductis velis, supplex ac venerabũda ostendit venerabile corpis Christi sacramentũ, Hic, inquiens, meus est ꝓtector, hic refugiũ meũ, et fortitudo mea, hic ponit in cõspectu meo mensam aduersus oẽs, qui tribulãt me. Quę res et admirationẽ et lachrimas legato exciuit. Eandẽ porrò aĩ constantiam ac fidẽ sequutis temporibus egregiè factò cõprobauit, dum scilicet ad regnũ euecta, & res humano iudicio difficilimas atq; insuperabiles aggressa, quibusdam moderationẽ ac dissimulationẽ adhibendã esse suggerẽtib. diceret, Deus mecũ hactenus nõ dissimulauit, et ego in eius cã tanq̃ iners, ingrata et timida dissimulabo? Nouit orbis q̃ ꝓclarè hisce uerbis, facta subsecuta respõderit. O ineffabilẽ et admirabilẽ dei bonitatẽ? O imperscrutabile diuinę sapientiæ cõsiliũ? olim

 tres

tres pueros in ardenti fornace positos, ignis furens, diuina repressus virtute, nihil lędere potuit. Daniel in lacu leonũ cõiectus rabiẽ non sensit leoninã, sed nec minimũ corporis vestiumq́ laniatũ. Abraham pater futurus multarum gentium, & in cuius semine (qui Christus est) benedicendę erant omnes gẽtes diuina protectus manu ex hac Chaldeorum, intactus abijt. Quid Loth ipsius nepotem commemorem? Hic infandæ libidinis ignem ter execratus ab incendio, quo tota illa pentapolis in fauillam redacta est, liberatur: et ab angelis in portum securitatis ac salutis deducitur. Pari etiam misericordiæ priuilegio Deus castitatis, & in se confidẽtium amator & protector, Mariam regni Anglicani hæredem ac futurã liberatricẽ, semper dignatus est ꝓtegere, quemadmodum narratio sequentiũ, adhuc manifestius edocebit. Nam Henrico patre vita functo, cũ filius Eduardus ex Iana Semeria natus decimum ætatis annum agens, regio titulo ac noĩe per gubernatores regnum administraret, Maria, vt ante per tempestates illas pertransijt illæsa. Hoc aũt nouo adole-

scente

ſcẽte principe è viuis quoq; ſublato, Maria
noſtra non ſine grandi miraculo, contra co-
natus Northumbarlãdi principis, iuxta pa-
ternum teſtamentũ, in regnũ eſt aſſumpta,
et ſtatim de auita religione in integrũ reſti-
tuenda, quatenus per pacẽ publicam licuit,
agere ac ſatagere cœpit. Obſtupuit orbis
tam præclara, tam repentè per fœminã geri
poſſe, regnũ diſſidijs, factionibusq; turbu-
lentum, ad eam ſerenitatem et quietẽ ita ſu-
bito redactum eſſe. Sed quid mirũ? inſeue-
rát.n. is, à q̊ eſt oĩs fortitudo, omneq; bonũ,
pectori fœmineo, magnanimitatem plus q̃
heroicam, prudentiam ſingularẽ, iuſtitiam
inuiolabilem, et alia huiuſmodi, ad res præ-
clarè gerendas præcipua adminicula, Vt in
hoc exemplo illud verbum Ionathę veriſſi-
mum eſſe conſtet, Non eſt difficile dño ſal-
uare, vel in multis, uel in paucis. Nec his ab-
ludit, quod Ionathę cõiunctiſſimus rex Da-
uid cecinit, Nõ in fortitudine equi volunta-
tem habebit, neq; in tibijs viri benepla-
citũ erit eis, Beneplacitũ eſt dño ſuper me-
tuentes eum, & in eis, qui ſperant ſuper mi-
ſericordiam eius. Hæc eſt igit̃ fortiſſima illa

 Iudith,

Iudith, q̃ rebus desperatis, Holoferne prin-
cipe obtruncato, imminẽs Bethuliæ, adeoq́
tot tantisq́ ciuitatibus excidium, magnani-
miter ꝓpulsauit. Hæc est illa prudentissima
Hester, quæ salutẽ populo Dei, apud Asue-
rum regẽ potentissimum conciliauit, acto in
crucem Aman, capitali eiusdẽ populi perse-
quutore. Hæc est deniq́ illa iustissima De-
bora, quæ populũ Israël sapientissimè iudi-
cauit, cuius etiã consilijs & ope Barach ex-
ercitum zizare numerosissimũ prostrauit.
Vnde si Anglia pro beneficijs sibi præsti-
tis Reginæ gratias agat, hanc vel similem
habitura orationem videatur.

Nec laudare satis, dignasq́; rependere grates,
Sufficiam, si ferrea uox foret oraq́; centum.
Quo te suscipiam gremio Regina beata,
Progenies regum, necnon generosa propago,
Principis Henrici, nulli pietate secunda?
Quos spargam flores, quibus insertabo coronis
A tua, quæ festis suspendam pallia portis?
Libera sum siquidem per te, patriosq́; recepi
Exilio pulsos, Christi cultamq́; fidemq́;.

Porrò ut vires additę viribus, statũ reflo-
rescentẽ Britannici regni, firmioribus vin-
culis confirmarent, ac sancti conatus huius
p̃clarissimæ generosissimæq́ fœminæ, me-
lioribus ꝓsperentur successibus, sapientissi-

mè

me nec sine diuino fauore cogitatum est, vt Philippũ Hispaniarꝝ principẽ potẽtissimũ, Maritum acciperet, et quæ olim Carolo patri sponsa destinabatur, filius nunc haberet vxorem. Et sanè hęc fœdera cõiugalia nulla, nisi causa honestissima, et reip. Christianæ vtilissima iniri suasit, hæc solum spectabant tam ipsorũ coniugũ vota, quàm eorũ consilia, qui huiusmodi copulæ authores extiterant, ut scilicet coalescentibus perpetuo fœdere, duorum regnorũ Hispanici atque Britannici, bellicosissimis populis, redintegraretur Anglicana resp. tot damnis grauissimis atrita. Ex hac quidẽ sancta unione, id vnicè exoptabãt publicæ pacis autores, ut thorus iste castus et immaculatus, fęcunditate prolis cumularetur. Sed omnino ęquanimiter ferendũ, quòd diuinæ complacuit Maiestati, boniq; cõsulendũ, quod ipsa iam corporeis soluta uinculis, semẽ carnis suę non reliquerit, à Dño factum est istud, cui nemo dicere potest, Cur ita facis? Iam nostri causa quidẽ lugenda hæc mors, Defunctæ vero potius congratulandũ, quod temporalis regni turbinibus libera, ad ęterni regni trãquillitatem

tem sit euecta. Nõ est profectò, non est, inquam, ea mors deflenda, quã vita adeò pcellens antecessit, fuit. n. (ut summatim eius vitã nunc complectar) Maria, Philippi regis cõiunx, cura et studio optimę matris Catharinæ, reginæ Anglorum, liberalissimè à teneris educata. Scientia vtriusque literaturæ nobiliter instituta, semper honestis dedita studijs, Deo in cubili cordis sui iugiter vacans, per omnes ferè vitæ gradus, varias perpessa calamitates, quibus, tanquam aurũ in fornace, probata, non mediocrẽ in omni virtutũ genere hausit profectũ, ingressa nimirũ per angustam viam, quæ ad vitam perducit ęternam. Per multas enim tribulationes, scriptura teste, oportet nos introire in regnũ cœlorum. Temporalium & caducarum rerum amore capti, deprecant ac refugiũt semper, quęlibet aduersa, et vano flore huius mũdi deliniti, fœdis sese mancipant voluptatibus, beatũ dicentes populum, cui hæc sunt bona (si tamẽ bona) transitoria. Sed istos vmbratilis felicitatis captatores, Propheta reprehendens illicò subiungit, Beatus populus, cuius Dñs Deus eius, Beatam itaque nequaquam se putauit

Maria,

Maria, ob regni ad se deuoluti magnificē-
tiam, nō ob præclara auorū atauorūq; stem-
mata, nō propter regis alioqui potentissimi
optimiq; felix cōnubium, oīa.n.hæc ad prę-
sentis vitæ statū calamitosum pertinere nō
ignorauit: sed cū metu & tremore suā salu-
tem operata, cōtinuò anhelauit ad iucundā
ac stabilem æternorū bonorꝝ possessionem,
quibus bonis Dei Opt. Max. clementia eā
nunc potiri ac satiari cōfidimus, ut iam ipsa,
nō tam nostris, q̄ nos illius p̄cibus indigere
videamur. Iam itaq; pro terreno ac tēporali
adepta est regnū cœleste atq; æternū, pro
turbulēto pacatissimū, pro angusto immen-
sum, et nullis limitibus definitū, pro mortali
marito filium Dei (cuius negociū ita stren-
nuè gessit) nacta est immortalē sponsum.

Habent igitur in hac sancta fœmina etiā
viri principes, quod admirentur, qđ & ad-
mirantes imitentur, et factis exprimere de-
beant. Vident insignē erga Deum pietatē,
constantiā, fiduciā, animū in rebus aduersis
infractum, in ꝓsperis minimè insolescentē,
vident publicæ tranquillitatis studiosam et
auitę religionis zelatricē, et simul reparatri-

 cem,

cem. Et nūc ô vos reges ac principes intelligite, ijs exemplis erudimini, vos qui iudicatis terram. Omniū quidem interest rectè sanctèq; viuere, sed ut alij rectè sanctèq; viuant, principū est pro virili efficere, primū inculpatæ ac laudabilis vitę exemplo: deinde sanctis ac iustis legibus, q̄ bonos præmijs afficiāt, improbos verò reiq; pub. turbatores, digna animaduersione coërceant. Quod si facietis, æterna vos manet corona, regnumq; perpetuum Amen. Dixi.

Nec sanè id prætereundū silentio putaui, qđ Cæsarea Mtās has ternas exequias non solū Augustę fieri instituit, sed in præcipuis etiam regnorū suorū vrbibus. Viennę primū eadem peregit Reuerendiss. Archieps̄ Strigoniensis Nicolaus Olahus, pater vigilantissimus, literisq; ipse tam Græcis q̄ Latinis non minus instructus, q̄ꝫ liberalis fautor hoīm literatoꝵ. Deinde Antonius eius loci Antistes, egregius, fidelisq; gregis sui Pastor. Olmutij, Marcus Ep̄us, & Vratislauię Balthasar eiusdem ecclīę Pontifex celeberrimus, Pragæ vero, cum ibi ep̄us nullus sit, Henricus Scribonius Præpositus, vir sanctioris

ctioris vitæ laude, ſedulitateq́ paſtoralis officij inſignis, & alibi alij.

Tenuius ſanè hæc, q̄ vel magnitudo huius negotij, vel ipſa eorũ, qui has exequias p̄ſentia ſua, precibusq́ condecorauerũt, expectatio poſtulabat, cōgeſta ſunt, fateor: at veniã dabũt amici, cũ viderint et locũ hũc, & tempus efflagitaſſe opus autoſchedium: alieniores aũt iudicēt, ut velint. Deus ęternus cœleſtis Pater ueritatis luce nos illuminet, ac pellat errorum tenebras, accendatq́ nos oēs igni charitatis ſuæ, vt idem ſentiamus in Dño, & hinc, quod nos diligamus mutuò, agnoſcãt hoīes, nos eſſe Redemptoris Chriſti diſcipulos. Amen. Auguſtæ Cal. Martijs, Anno humanę ſal. M.D.LIX.

ERRATA.

Folio C 1. facie 2. pro uideri lege uidere. C 3. fa. 1 pro bona lege dona. C 4. fa. 2. p pro ſe lege eſſe. D 3. fac. 2. pro pabtizatis lege baptizatis. D 3. fa. 2. pro ac reddi lege aut reddi. E. 3 fa. 2. pro perieret le. criperet. E 4. fa. 1. pro liberaret ab lege liberaret, & ab. I 4. fa. 2. pro incolumis tandē reſtaurari: lege incolumis reſtaurari. K 3. fa. 1. pro quod ſe, lege quod ipſo. K 4. fa. 1. pro enim didicerat, lege aũt didicerat. L 2. fa. 1. pro admonut, lege admonuit in hunc modum. L 1. fa. 2. pro Eliſabetham lege Mariã. O. 4. fa. 1. pro licere atq; uel, lege licere ſed uel. P 4 fa. 1. pro impellante lege impellente. R 4. fa. 2. pro conſtitutũq; lege cōſtitutũ. T 1. fa. 1. pro Ambroſius lege Vrbanus. X 3. fa. 2. pro ipſemet lege ipſamet. b 3. fa. 1. pro tantum lege tàm. b 4 fa. 1. pro adi lege adiri. c 4. fa. 2. pro oīm lege oīmq;. d 1. fa. 1. pro uidebatur lege uideretur.

